



SEPULCRUM HERMETIS RESERATUM.



SEPULCRUM HERMETIS RESERATUM

SIVE

DE OPERE HERMETICO LIBRI TRES.

AUCTORE

PETRO PAULO RAPHAELIO

EDITIO SECUNDA.



Omnia in manu Domini, qui dona sua, cui, & quando vult & largitur, & subtrahit.

VENETIIS, MDCCXVI.

Apud Andream Poleti.

Superiorum permissu, ac Privilegio.

HERMETICUM
Adeptis Arcanum S.



Epulcri, quod amplæ, compoſitæque par Ædi, immò validæ, & arci priſcorum Sapientum ſimul, & neotericorum, quorum pars eſtis, theſauris refertum HERMETI poſui, nec obſtruxi, ſed pervium feci, cum vigiles cuſtodes eos optem, qui ejuſdem poſſent & aſſertores dici, ſi direpturis, everſuriſque invaderetur ab hoſtibus, ipſum vobis tuendum delego Philoſophorum Principes.

An erectæ archetypum molis aptè delineaverim, vel erraverim in structura, an quid nempè omiserim damno ejusdem, sive inutiliter auxerim, vobis unicè perpendere concessum est, quibus eadem, ignota cæteris, se penitùs deteget.

Stabit judicio vestro ubi probaveritis ipsam: neglecta concidet; nunquam enim subsistit, corruit verò quidquid à melioribus temnitur.

Sed qui dedistis unde excitaretur, surgeretque, tuta unde permaneat roborabitis & munimine, ab insultantium ausibus, illæsa ut perstet, vindicabitis & præsidio.

Fulcta hoc non pavebit insanos strepitus rudis vulgi, nec juratos adversantium academiarum formidabit impetus, fidelibus tacitisque Eleusinii more delubri adeuntium Sophorum mentibus frequentanda, & celebranda silentio.

Quod si hoc dicar aliquando violasse ubi cuncta custodienda insona ad discrimen omne vitandum, subeat me nil locutum immeritis, sed vobis tantùm Deo addictis, & arti, quorum singuli theatrum estis; nec rerum propterea depressisse majestatem, vel minuisse nitorem, quem, ut aulæ fastus, non affectat virtus ex abdito, sed ostendisse altum Dei donum haud transactis tantummodo sæculis alligatum.

Debui præterea æterno pro dispositis mihi beneficiis hymnos præmittere omnium Largitori bonorum, ne reticens ingrati animi arguerer.

Ipsi laudem suam reddere & licuit, & de-

cuit,

cuit, inhibitis, propulsatis, victisque incredulis, qui ejus potestatem munificentissimam tàm temerè, quàm inanitèr sunt arctare conati, impertitum sæpè præstantibus Sapientia, & probitate viris lapidem denegantes.

Divinæ incircumscripta mentis vis est: omnia potest.

Idem Dominus, qui productricem naturam æmulum fecit artificem. quod potentem Omnipotens naturam dederit, & instruxerit, gloriæ proficit Conditoris; æternæ Sapientiæ lumini, quod ingenium irradiaverit hominis.

Hinc exaltet ipsum affusus mihi cœlitus fulgor; & concreditum mihi talentum, quod liventibus iniquè tumulassem in umbris, divitias bonitatis ejus exhibeat.

Humatum nemini favet, aut fulget aurum; prodest verò, & oblectat effossum.

Dei, qui ipsa benignitas est, imitatrix est virtus: undè hæc nunquam invida, perpetuò verò juvandis omnibus prona, se, suaque communicat puris mentibus, improbas aversata; quibus cæcutientibus, sint licèt clarissimè sine nube ostensa, immò etiam obvia, nulla unquam bona innotescent. ad Tumulum hunc habent semper ob oculos semitam, nec inveniunt!

Tam abest quod in ejusdem septa penetraturi sint sontes, Reipublicæ, & æquitatis iniuria, ne in ipso asservatis proximent thesauris, & à vestibulo arcendi.

Quin cum difficillima sæpè eisdem pateant,

ex alto Divinæ Providentiæ conſilio, ne inquirant, quæ ſunt ſumma, certa, & facillima, impoſſibilia videntur, & ficta.

Talia hæc ſtultè reputent, quæ vobis accino unà vobiſcum clam piè fruiturus mox proximo miſerentis Dei dono. Valete.



L E-

LECTOR.


Uæcunque tibi in hoc Opuſculo obvenerint de Spiritu univerſali, & particulari rerum, de anima metallorum, de his mortuis, & redivivis, & id genus alia, ſubtiliores, & puriores corporum partes, ſive ab ipſis abſtractas, ſive eiſdem redditas innuant. Quæ verò Myſteria tangunt Fidei, per analogicam ſimilitudinem allata noveris citra vel levem Religionis offenſam, cùm qui hæc chymicè ſcripſit Author, Romanam Catholicam Fidem, cui ſe, ſuaque ſubdit, plenè profiteatur.

Typographus Lectori.


Niverſim adeò Opus hoc plauſum ſibi meruit, ut denuò Typis committens, Auctori, qui antequam illud in lucem editum videret Fato ceſſit eam Gloriam, quæ illi debetur ſuperimponendo nomen; tametſi priuſquam è vita migraret mihi prohibuiſſet, quemadmodum priori impreſſione Anni 1715. ſub titulo Auctoris Anonymi actum eſt, fraudare noluerim. Secundam ideò hanc editionem gratam habe, ut priorem habuiſti. Vale.

NOI

NOI REFORMATORI

Dello Studio di Padova.

HAvendo veduto per la Fede di Revisione, & Approbatione del P. F. Tomaso Maria Gennari Inquisitore nel Libro intitolato: *Sepulcrum Hermetis reseratum, sive de Opere Hermetico Libri tres*, non v'esser cos' alcuna contro la Santa Fede Cattolica; & parimente per Attestato del Segretario Nostro, niente contro Prencipi, e buoni costumi, concedemo Licenza ad Andrea Poletti Stampatore, che possi esser stampato, osservando gl' ordini in materia di Stampe, & presentando le solite copie alle Publiche Librarie di Venezia, & di Padova.

Dat. 23. Settembre 1715.

{ Marin Zorzi Reform.
{
{ Alvise Pisani Kav. Proc. Ref.

Agostino Gadaldini Segret.

TI-

TIRO
In Hermeticis instituendus meminerit

I. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum esse descendens à Patre luminum* (Jac. 1. 17.) *in cujus manu omnes fines terræ* (Psalm. 94. 4.) *immò omnia* (Rom. 11. 36.)

II. *Inter præcipua autem dona ejus Sapientiam esse* (Sap. 7. 22.) *quæ ex ore prodivit Altissimi primogenita ante omnem Creaturam* (Eccli. 24. 5.) *cujus fons Verbum Dei in excelsis, & ingressus illius mandata æterna* (Eccli. 1. 5.)

III. *Qui verò hanc amat, exquirat ipsam à juventute sua* (Sap. 8. 2.) *Subditus sit Domino, & oret eum* (Psal. 36. 7.) *postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat* (Jac. 1. 5.)

1. 5.) *postulet autem in fide nihil hæsitans* (ibid. 1. 6.) *& dabitur ei* (ibid. 1. 5.) *appropinquet pedibus ejus, & accipiet de doctrina illius* (Deut. 33. 3.)

IV. *Ipse enim revelat profunda, & abscondita, & novit in tenebris constituta, & lux cum eo est.* (Dan. 2. 22.)

V. *Clara est, & quæ nunquam marcescit Sapientia* (Sap. 6. 13.) *per quam nox ipsa sicut dies illuminatur* (Psal. 138. 12.) *unde facile videtur ab his, qui diligunt eam, & invenitur ab his, qui quærunt illam; præoccupat enim, qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat* (Sap. 6. 14.) *Optet, & invocet igitur, & obtinebit Spiritum Sapientiæ* (Sap. 7. 8.) *Et præponet illam Regnis, & sedibus, & divitias nihil esse ducet in comparatione illius* (ibidem) *nec comparabit illi lapidem pretiosum, quoniam omne aurum in comparatione illius arena est exigua, & tanquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius* (Sap. 7. 9.) *Si divitiæ appetuntur in vita, quid Sapientia locupletius, quæ habitans in Consilio, & eruditis cogitationibus* (Prov. 8. 12.) *operatur omnia* (Sap. 8. 5.) *cum sit una omnia potest* (Sap. 7. 27.)

VI. *At concupiscens ipsam, conservet justitiam* (Eccli. 1. 3.) *disciplina ipsum Domini corrigat; & docebit* (Psal. 17. 36.) *Præceptum siquidem Domini lucidum illuminans oculos* (Psal. 18. 9.) *non erudietur, qui non est sapiens in bono* (Eccli. 21. 14.)

VII. *Post*

VII. *Post industriam sequetur Sapientia* (Eccli. 10. 10.) *non verò invenietur in terra suaviter viventium* (Job 28. 12.) *nec intreibit in malevolam animam , nec habitabit in corpore subdito peccatis* (Sap. 1. 4.) *arrogantiam detestata , & Superbiam , viam pravam , & os bilingue* (Prov. 8. 13.) *Deus enim dat ipsam piè agentibus* . (Eccli. 43. 37.) *Homo plantet itaque , & riget , nihil habebit emolumenti , nisi incrementum Deus dederit* (1. Cor. 3. 6.) *qui diligit justos* (Psal. 145. 8.)

VIII. *Sapientia vapor est virtutis Dei , & emanatio quædam est claritatis omnipotentis Dei sincera , & ideo nihil inquinatum in ea incurrit* (Sap. 7. 25.) *candor est enim lucis æternæ , & Speculum sine macula Dei majestatis , & imago bonitatis illius* (ibidem 26.)

IX. *Hinc non dabitur aurum obryzum pro ea , nec appendetur argentum in commutatione ejus* (Job 28. 14.) *non conferetur tinctis Indiæ coloribus , nec lapidi Sardonycho pretiosissimo , vel Saphyro* (ibid. 28. 16.) *non adæquabitur ei aurum , vel vitrum , nec commutabuntur pro ea vasa auri :* (ibid. 18. 17.) *desiderabilis siquidem est super aurum , & lapidem pretiosum , & dulcior super mel , & favum* (Psal. 18. 11.) *Excelsa , & eminentia non memorabuntur comparatione ejus ; trahitur autem Sapientia de occultis* . (Job 28. 18.) *Non adæquabitur ei Topatius de Æthiopia , nec tincturæ mundissimæ componetur* (ibid. 28. 19.) *omne namque desiderabile non potest ei comparari* (Prov. 8. 11.)

X. *Ideo*

X. *Ideo super argentum, & aurum, immo & super salutem, & speciem diligenda est, & pro luce habenda* (Sap. 7. 10.) *est enim speciosior Sole, & super dispositionem Stellarum luci comparata invenitur prior* (ibid. 7. 29.) *illi enim succedit nox, Sapientiam autem non vincit malitia* (ibid.) *quoniam inextinguibile est lumen illius* (ibid. 7. 10.) *veniunt autem omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius, unde lætatur in omnibus qui possidet ipsam* (ibid. 7. 12.)


XI. *Cum in ipsum venerit, Sapientiam omnium antiquorum exquiret Sapiens, & in Prophetis vacabit* (Eccli. 39. 1.) *narrationem virorum nominatorum conservabit, & in versutias parabolarum simul introibit* (Eccli. 39. 2.) *occulta proverbiorum exquiret, & in absconditis parabolarum conversabitur* (ibid.) *& consiliabitur in absconditis suis* (ibid. 39. 10.) *tunc nox illuminatio ejus in deliciis ejus* (Psal. 138. 11.) *illuminabuntur etenim ipsi abscondita tenebrarum* (1. Cor. 4. 5.) *lapis quoque caliginis* (Job 28. 3.) *calore solutus in æs vertetur eidem* (Job 28. 2.) *fundetque rivos olei* (ibid. 29. 6.) *profunda quoque fluminum scrutabitur, & abscondita in lucem producet* (ibid. 28. 10.) *Sciet dispositionem Orbis terrarum, & virtutes elementorum* (Sap. 7. 17.) *in petra aperiet rivos, & omne pretiosum videbit oculus ejus* (Job 28. 9.)

XII. *Sic se ipsum Sapiens amabilem faciet* (Eccli. 20. 12.) *propter Sapientiam enim habebit claritatem*

tem

tem ad turbas, & honorem apud seniores, & in conspectu potentium admirabilis erit; (Sap. 8. 10.) *intrans in domum suam conquiescet cum illa, non enim habet amaritudinem conversatio illius* (ibidem 8. 16.) *nec tædium convictus illius, sed lætitiam, & gaudium* (ibidem) *impletus benedictionibus* (Eccli. 37. 27.) *in populo hæreditabit honorem, & nomen ejus erit vivens in Æternum.* (Eccli. 37. 29.)

TABU-



TABULA SMARAGDINA HERMETIS

Tractatuum omnium de Lapide Philoſophorum Fundamentum, & Baſis.



Erum ſine mendacio, certum, & veriſſimum.

Quod eſt inferius eſt ſicut id, quod eſt ſuperius; & quod eſt ſuperius eſt ſicut id, quod eſt inferius ad perpetranda miracula rei unius.

Et ſicut res omnes fuerunt ab Uno meditatione unius, ſic omnes res natæ fuerunt ab hac una re adaptatione.

Pater ejus eſt Sol, mater ejus Luna. portavit illud ventus in ventre ſuo. nutrix ejus terra eſt. pater omnis theleſmi totius mundi eſt hic. virtus ejus integra eſt, ſi verſa fuerit in terram.

Separabis terram ab igne, ſubtile à ſpiſſo ſuaviter magno cum ingenio. aſcendit à terra in Cœlum, iterumque deſcendit in terram, & ſic recipit vim ſuperiorum, & inferiorum.

Sic habebis gloriam totius Mundi. ideo fugiet à te omnis obſcuritas.

Hæc eſt totius fortitudinis fortitudo fortis, quia vincet omnem rem ſubtilem, omnemque ſolidam penetrabit. Sic Mundus creatus eſt. hinc erunt adaptationes mirabiles, quarum modus eſt hic.

Itaque vocatus ſum HERMES TRISMEGISTUS habens tres partes philoſophiæ totius Mundi. Completum eſt quod dixi de operatione Solis.

Smaragdi Hermetici libet alias verſiones addere eo quòd aliquid peculiare fulgeat in ſingulis, & nonnulla aliorum ſelecta Ænigmata ſe mutuò dilucidantia.

VErum eſt ab omni mendaciorum involucro remotum. quodcumque inferius eſt, ſimile eſt ei, quod eſt ſuperius. per hoc acquiruntur, & perficiuntur mirabilia operis unius rei. quemadmodum etiam omnia ex uno fiunt per conſiderationem unius; ita omnia ex hoc uno facta ſunt per conjunctionem.

Pater ejus Sol eſt; mater Luna. ventus in utero geſtavit; nutrix ejus eſt terra, mater omnis perfectionis. potentia ejus perfecta eſt ſi mutatur in terram. Terram ab igne ſeparato, ſubtile, & tenue à groſſo, & craſſo, & quidem prudenter cum modeſtia, & ſapientia. Hoc à terra aſcendit in Cœlum, & à Cœlo rurſus in terram deſcendit, & potentiam, ac efficaciam ſuperiorum, & inferiorum recipit. hoc modo acquires gloriam totius Mundi. propulſabis igitur tenebras omnes, & cæcitatem, hæc enim fortitudo omni alii fortitudini, & potentiæ palmam præripiens; omnia namque ſubtilia, & craſſa, duraque penetrare, ac ſubigere poteſt.

Hoc modo Mundus conditus eſt: & hinc conjun-

junctiones ejus mirabiles, & effectus mirandi, cum hæc via sit, per quam hæc mira efficiantur. & propter hæc Hermetis Trismegisti nomine me appellarunt cum habeam partes tres Sapientiæ, & philosophiæ universi Mundi. Consumatum est verbum meum; quod dixi de opere Solari. *Theat. Chem. Tomo* 4. *pag.* 497.

Smaragdi ejusdem altera versio ex Gherardo Dorneo in physicam Tritemii.

QUod est inferius est sicut id, quod est superius ad perpetranda miracula unius rei multa, &c.

Pater ejus est Sol, mater verò Luna. portavit semen in utero ventus, terra nutrivit, pater omnis perfectionis totius Mundi est hic, virtus ejus integra, & immensa si versa fuerit in terram, &c.

Separabis, &c. & recipit vim superiorem, & inferiorem, &c. *ex Theat. Chem. Tomo* 1. *pag.* 392.

Smaragdus idem ex Bernardo Comite Trevisano.

VErum est, certum, & verissimum: quod est superius naturam habet inferioris, & ascendens naturam descendentis. conjungas unicâ viâ,

dispositioneque. Sol est ejus conjugii pater, & alba Luna mater; tertius succedit ut gubernator ignis. crassum fac subtile, & hoc spissum reddito. ad hunc modum gloriam habebis totius Mundi. *Tb.Cbem.Tomo 1. pag.* 685.

Aliud Ænigma à Summis Philosophis celebratum.

CŒlum sursum, Cœlum deorsum: astra sursum, astra deorsum: quod sursum, omne id deorsum. hæc cape, & beaberis.

Testamentum Arnaldi à Villanova.

LApis philosophorum de terra scaturiens in igne perficitur, seu exaltatur. limpidissimæ aquæ potu satiatus ad minus horis duodecim undique visibiliter tumens. deinde in stupha positus aëris sicci, & mediocriter calidi, vapore depuratus extraneo, soliditatem suarum partium adipiscitur, & ab humore extenuatus superfluo fit aptus contritioni. quibus peractis, ex purioribus ejus partibus virgineum lac exprimitur, quod confestim in ovum philosophorum positum, tamdiu pullifica concoctione foveri non desinit, donec colorum varietate denudatus, cum compare suo in niveo colore lætificat; & ex tunc

sine

ſine metu periculi ſuſtinet pœnas ignis creſcentis, donec colore tinctus purpureo egrediatur de monumento cum regia poteſtate. *Theat. Chem. Tomo* 1. *pag.* 28.

Idem Teſtamentum paululùm immutatum, & clarius.

LApis generatus, ortuſque de terra per elevationem perficitur, aquæ potione ſatiatus. infra duodecim horas ut minimum inflatur, & intumeſcit circumquaque viſibiliter. poſtmodum in balneo poſitus, vel in aëroſo hypocauſto moderatè calido, & ſicco, ac purificatus ab extraneo vapore, ſoliditatem ſuarum partium acquirit. extenuatuſque ſuperflua humiditate, fit idoneus ad commixtionem. quo facto ex purioribus ejus partibus exprimitur lac virgineum; quod mox inde poſitum in ovum philoſophicum, proprio, & continuato calore foveatur, ut pro pullorum excluſione. varietate ſuorum colorum nudatus, gaudet cum ſuo compare colore tinctus inſtar nivis. inde poſt abſque periculo reſiſtit ignis violentiæ, tantiſper donec pavonis coloribus ornatus de monumento deinceps egrediatur cum regali, ſummaque potentia. *Th. Chem. Tomo* 1. *pag.* 753.

Hoc autem ænigma uni tantùm cedit Smaragdo Hermetico.

Ænigma aliud incogniti Authoris.

EST in Mercurio quidquid quæritur, ex quo ſpiritus, corpus, & anima trahitur, unde puriſſima, & mundiſſima tinctura provenit. humor eſt pretioſus, hominem lætificans, factus ex terra, aqua, & igne. corpore utique purgato, conceptoque ſpiritu, tandem clarus fons exurgit, in cujus fundo jacet leo viridis, aut ſerpens, qui extenditur. ſi expergeſiat, in altum aſcendit, & poſtquam ei deficit animus, deorſum deſcendit in balneum, quo tantiſper lavatur donec rubeſcat, lavatur inquam aquâ vitæ uſque dum non agnoſcatur amplius. poſtremò vertitur in digniſſimum lapidem primò album, & poſtea citrinum, viſu pulchrum, atque delectabilem. Sis igitur de Mercurio vero ſollicitus, quem natura generavit, & qui cum ſuo patre moratur proſperè, proſperaque reddit imperfecta metalla. *Theat. Chem. Tomo* 1. *pag.* 753.

Aliud pariter incerti.

REvolvi lapidem, & ſedebam ſuper ipſum. in puteum pœnæ detrudatur qui potenti, vel fatuo iſtud revelaverit. Ego verò id revelo bonis, quia vidi multos in labore perire, quia non poterant ad ſcientiam artis pervenire. in nomine Domini ſume ALKABRICK, & humorem humanum de ſana vena, & miſce æqualiter,

liter, & extrahe aquam per fumum, postea aerem per ignem. ultimò fœces combure, calcina, & misce æqualiter cum urina pueri, & extrahe Salem, & habes omnes lapides, de quibus Philosophi experti sunt: tingunt enim mirabiliter, & coquunt, ut natura ignis plus facere non queat. item istud Sal resistit Mercurio cum imbibitur, & desiccatur cum primo lapide, & sic fit fixi corporis unio supra firmam petram. non videat faciem Dei, qui potenti, vel fatuo istud revelaverit. *Theat. Chem. Tomo* 3. *pag.* 698.

Solve, & congela, & fac quamlibet speciem cum sua specie, & omne genus cum suo genere, & gaudebis, natura enim cum sua natura delectatur. *ibidem*.

Aliud ignoti, at doctissimi sanè, Authoris.

In Nomine Dei viventis, & vivificantis.

I.

TErra mihi corpus, vires mihi præstitit ignis.
Alta domus quærò, sedes est semper in imo;
Et me perfundit, qui me citò deserit, humor.

II.

Sunt mihi, sunt lacrymæ, sed non est causa doloris;
Est iter ad Cœlum, sed me gravis impedit aer;
Et qui me genuit, sine me non nascitur ipse.

III.

Pulvis aquæ tenuis modico cum pondere lapsus,
Sole madens, æstate fluens, in frigore siccus,
Flumina facturus totas prius occupo terras.

IV.

Mira tibi referam noſtræ primordia vitæ:
Nondum natus eram, nec eram tum matris in alvo,
Jam poſito partu natum me nemo videbat.

V.

Non poſſum naſci ſi non occidero matrem:
Occidi matrem, ſed me manet exitus idem.
Id mea ſors patitur quod jam mea fecit origo.

VI.

Vita mihi mors eſt, morior ſi cœpero naſci;
Sed prius eſt fatum læthi, quam lucis origo:
Sic ſolos manes ipſos mihi duco parentes.

VII.

Magna quidem non ſum, ſed ineſt mihi maxima virtus:
Spiritus eſt magnus, quamvis in corpore parvo,
Nec mihi germen habet noxam, nec culpa ruborem.

VIII.

Ambo ſumus lapides, unà ſumus, ambo jacemus:
Quàm piger eſt unus, tantùm non ſegnis it alter;
Hic manet immotus, non deſinit ille moveri.

IX.

Findere me nulli poſſunt, præcidere multi;
Sed ſum verſicolor, albus quandoque futurus.
Malo manere niger, minus ultima fata verebor.

X.

Nulla mihi certa eſt, nulla eſt peregrina figura;
Fulgor ineſt intus radianti luce coruſcus,
Qui nihil oſtendit niſi ſi quid viderit ante.

XI.

Non ego continuò morior dum ſpiritus exit,
Nam redit aſſiduè, quamvis & ſæpè recedat;
Et mihi nunc magna eſt animæ, nunc nulla facultas.

XII.

Plus ego ſuſtinui, quàm corpus debuit unum.
Tres animas habui, quas omnes intus habebam.
Diſceſſere duæ, ſed tertia pœnè ſecuta eſt.

Non poteſt apertiùs negari quàm dicendo non:
Et non poteſt apertiùs affirmari quàm dicendo ita.

Cui

Cui non eſt datũ,non intelligit, omne enim donũ ab alto.
Quæres multum, & non invenies;
Fortaſſe invenies cum non quæres.

Theat. Chem. Vol. 3. pag. 763.

Roberti Vallenſis.

Spiritus intus ineſt, quem ſumito (corporis hæc eſt
Sectio) demiſſis fœcibus arte levi.
Fœcibus, ac terra demiſſis, fonte benigno
Sæpius aſperſis, ſic tibi Elixir erit.

Aliud Ænigma.

Viſitabis **I**nteriora **T**erræ **R**ectificando, **I**nvenies **O**ccultum **L**apidem **U**eram **M**edicinam.

Unicus eſt lapis, unica materia, quæ eſt prima omnium metallorum. præparatio ſaltem unica, à qua ſi quis aberraverit, ſcopum non attinget. in duas operationes diviſa, ſolutionem ſcilicet, & coagulationem; & eſt verè univerſalis ante fermentationem, poſt eam ſpecifica.

Benedicta ſit ergo illa res, & benedicta ſit ejus operatio per Jeſum Chriſtum. Amen.

Vulgaris oculus hìc caligat, diffiditque plurimum. vigila. *Theat. Chem. Tomo 4. pag. 416.*

Solve, & coagula.

PRæmiſi faces: vides? progredere. cæcutis? abſiſte: per abrupta namque, obliqua, invia, inacceſſaque, perque anguſtiſſimos, ſalebroſos, opacoſque tractus ruinis proximos, & conterminos incedendum.

Laudatur ars Medica, Hermes, ejuſque arcanum, cujus ſubjectum aſtruitur unum, demonſtraturque. diluuntur calumniæ in ipſum; & adduntur nonnulla annexam poeſim elucidantia.

QUidquid prodeſt homini Divinum redolet, cum prodeſſe Dei ſit. unde haud penitus abſonè, Deum eſſe mortali juvare mortalem, ait *Plinius* (*lib.* 2. *cap.* 7.) nil ſiquidem quit dignius dari, aut nobilius, & Dei majeſtatem, & amorem magis oſtentans, quàm evehere humiles, ditare pauperes, debiles ſolidare, & omni deſtitutos auxilio aſſiduâ beneficiorum largitate fœlices reddere. ſed quaſi in donis convicium fuerit, ut lenocinante ſibi errore homo rationis alioqui compos, quidquid proficuum, Divinum ratus referre, ubi ad auxilium ſuum intentam, vigilemque vim ſenſerit, in opitulantes ſibi res, quæcumque hæ fuerint, uni exhibendum Deo depreſſit miſerè famulatum! ſacri reputati hinc fontes, erecta hinc igni templa (*Cælius Rodig. lect. antiq. lib.*

15. *cap.*

15. *cap.* 15.) hinc culta Divinis fictis nominibus sidera; hinc, ut millena alia reticeam, delirantium Etnicorum commenta, Sol in Delos insula, non quia fons lucis habitus, sed vitæ, tenuit aras (*Cic.* 3. *Ver. Plin. l.* 4. *cap.* 13.) adolendaque Divis thura in erectis sibi delubris in Perside (*Lactantius*) mendacio non tam sanè monstroso, ac alia errantium deliramenta, eo quòd reparet, foveat, & servet in sublunaribus omnia medicæ facultati præfectus.

Verùm elusæ superstitionis sat, licèt ingeniosis, depulsis umbris, cœlestem quandam rationem referre medicam artem, in qua præcipuæ ingeniorum laudes, & summæ elucent erga proximum argumenta dilectionis, cum sit homini præ cæteris utilis, inficiabitur nemo, qui ipsius perscrutatus sat causas, & media fuerit, & effectus assecutus, & finem. Cum enim altissimæ contemplationis indagine profundam intimæ essentiæ rerum prærequirat cognitionem, ut ex quibus compactum corpus, quâ sit ratione servandum, quo robore obstandum morbis, & quibus hi eradicandi viribus apprimè noverit, quis neget ipsam summum Sapientiæ apicem, ubi præcipua laus hominis, conscendisse? inde cunctis eminet una infra se positis, supremâ enim, qua præstat, utilitate, facultates (Theologicas excipe) supergreditur omnes, cum ardua quæque attingat, & profundissima inspiciat, & humanæ reipublicæ maximè favens, vitæ consulat producendæ, qua morbis contractâ, nec tot clari victoriis, nec

tan-

tantâ præclariſſimorum facinorum magnificentiâ, quæ illuſtre eſt ſubſecuturis calcar ad gloriam, coruſcaſſent heroes, nec literariæ paleſtræ Cœlum tot ſcientiarum luminibus ad eliminandas ignorantiæ tenebras effulſiſſet, quantis jam rutilat ad ipſius axis invidiam.

Nonne rebus præferenda eſt cunctis ea virtus, quam præcipuæ mentes ſæculis omnibus in omnibus terrarum regnis fœliciſſimè, & glorioſiſſimè, immo etiam ad ambitionis uſque jactantiam profeſſæ ſunt? quam conſilio ſummi, & ſæpe imperio etiam, Numinis aggreſſi olim emancipati Deo viri adeo aſſideratis membris, cunctiſque languoribus opem fauſtè dedere, & validè, ut primi vel umbra ipſa Hierarchæ Sole clarior, ſalubriorque (*Act. Ap.* 5. 15.) eoſdem correxerit, fugaritque? quam beati Spiritus puriſſimo Divini amoris æſtu ſemper accenſi, miſerandumve pariter eodem charitatis incendio conflagrantes in hominem, ereptam eidem (*Tob.* 11. 8.) reſtituentes diem, vel felle ipſo ſuaviter exercuere? ſed parva hæc.

Concorporatus nobis humanæ Aſſertor libertatis Deus ipſe, in quo Divinæ Charitatis officio dum nos inter hìc ageret, uberiùs, & frequentiùs enituit, quàm in effugandis, ut ſacræ omnes paſſim de eodem paginæ, invalidorum languoribus, in reſerandis ſurdorum auribus, in reparandis, inſtaurandiſque obtutibus, ſupremum exitium cunctis contagiorum, & morborum turmis indicens?

Quæ

Quæ Divina dirigente miſericordia, omnipotenti afflante, & operante Sapientia Dei emundandis, erudiendiſque hominibus cum ita evenerint, quem profectò magis medendi ars decet quàm Sacerdotem, ſi ſuum planè, cujus ſe profitetur aſſeclam, in animabus, corporibuſque curandis, ad ſapienter, & ſanctiſſimè electum ſummè optimum ſe componens exemplar, ſupremum ſit imitaturus magiſtrum, eo maximè quia non tantùm ſuos iſte diſcipulos per totum Terrarum Orbem miſerit, ut populos omnes præceptis imbuerent naſcentis fidei, ſed & ut languores omnium corrigerent, & quod commiſit eiſdem imperio virtutis ſuæ (*Mar.* 16. 17.) ponens in eis (*Pſal.* 104. 27.) verba ſignorum ſuorum, toti etiam Eccleſiæ, præcipuo verò modo demandarit Adminiſtris Altaris, per quos ab omni lepræ contagio ſuus emundaretur grex, ſervareturque incolumis?

Non eſt profectò, non eſt cui non præferatur tam eximiæ virtutis prærogativa omnium præſtantiſſima, divinum quodammodo exercens robur, ſive ſua reddatur ipſi dignitas, & majeſtas, ſive perpendatur utilitas, ſeu divina Authoris ejus ſapientia adoretur, cum neque ſit cui præclaro celſiſſimæ nobilitatis merito non præcellat. hinc ejuſdem exiſtimatio, & amor adeo penes omnes populos ipſo naturæ à Deo irradiatæ, & rationis dirigente lumine invaluit, ut tamquam virtutes inter reliquas ſublimior omnibus una, prærequiſita per omnem ſæculorum curſum in Sacer-

doti-

dotibus etiam Ethnicis fuerit (*Marſ. Fic. in Apol.*) unde in Baccho antiquiſſimo illo delirantis Idololatriæ templorum præſide non tam ſubactos Indos, primoque datum (*Alex. ab Alex. dier. genial. lib.* 1. *cap.* 28.) ab ipſo triumphalibus pompis nomen nunc conſcenſo elephante, nunc pantheris ad currum, tygridibuſque adactis (*Philoſtratus, Plinius*) & ſupremi inſigne dominii inventum, præcinctumque regiæ fronti diadema (*Alex. ab Alex. loc. cit.*) quàm medicinam demiratus eſt Orbis, eamdem profeſſis olim Sacerdotibus etiam Chaldæis, Perſis (*Marſ. Fic. in Apolog.*) Ægyptiis, quos inter Chemicæ Veritatis inventor *Hermes*, ut libuit *Platoni*, *Philoni*, & *Diodoro Siculo ab Olao Birrichio* allatis, ſeu veriùs inſtaurator, ut ex ejus aſſertis colligitur, propagatorque propriis plurium librorum monumentis, quorum quadraginta duos enumerat *Clemens Alexandrinus* (*Stromat.* 6.) quatuor, *Pimandro*, *ſeptem Capitum*, *de Unitate Entis*, & *Aſclepio* nunc ſuperſtitibus, & *Smaragdina* cunctis æquanda libris *Tabula*, maximè excelluit, prout etiam *Chiron*, *Orpheus*, aliique quamplures in eadem primæ notæ ſapientes enituere.

Cum autem iſte laudabilis juvandi hominis ardor per omnes ætates, cunctis in Gentibus, remotiſſimis, & alioqui efferis etiam ad gloriam uſque captandam vel adjutrice naturæ à Deo inſita lege apud etiam ſuperſtitionibus obcæcatas mentes increverit in Sacerdotibus, quantonam profectò illuſtrior, puriorque emicare debet in

Sa-

Sacrorum Adminiſtris veri Eccleſiæ Dei, in quibus tamquam Chriſti Domini præcipuis membris illa eadem par eſt effloreat charitatis exercitatio, quæ indeficiens, & ſumma præfulſit ſemper in capite? probandum opus ubi plenè eſt laudabilis author: intuendum eſt homini, quod Deo præſtante reſplenduit: diligendum opere, quod operando dilexit.

Hæc mente evolvens, rem Deo gratiſſimam fore reputans ejus inhærere veſtigiis, ut ſaluti utriuſque ſubſtantiæ, animæ nempe & corporis incumberem proximorum, citra omnem congerendi auri cupiditatem ad medices facultatem recurrendum ratus, ita ipſius diù hæſi theoriæ, cujus præſtantiam, & robur intra breviſſimos *Smaragdi Hermetici* fines vidi conſiſtere, ut confidam brevi interjecto tempore poſſe exinde etiam praxi prodeſſe, ſubſidium invalidis, præſidiumve laturus. id enim utique mihi ſpopondit, & ſpondet, intuitu licèt non plenè libero, ſubluſtri nube veritatis phyſicæ, vel ſub ænigmatis velamine deliteſcentis in doctrinis Hermeticis inſpecta diu ſpecies, cui validiſſimis rationum vinculis ita obſtrictum ſimul, illectumve me ſenſi, ut omnibus in ipſam animi directis viribus, eamdem momentis omnibus, pietati dietim quæ ipſius ſunt perſolutis, aſſiduis Deo precibus annuente, toto corde verſaverim, ipſique uni pleno mentis gaudio geſtierim ſemper adeſſe.

Nec ſanè quid dignius, utilius, ſublimiuſve veſtigare animo, aut agere potuiſſem quàm eos

Her-

Hermeticæ philoſophiæ tutiſſimos gradus conſcen-dere, quibus tutiùs datur noſcere aſtrorum vires, metiri Cœlum, hujuſve ad exemplar paribus, occultis licèt, irradiatam ſtellis, ipſarumque ditatam virtutibus, imam adire terram, ipſamque ſcrutari ſapienter inſpectam. Summa ſiquidem illa ingeniorum hyperboles, pura illa Ægyptiæ Eclipticæ lampas, immò illud totius reipublicæ literariæ præcipuum HERMES decus, & ardor, de quo doctiſſimi plura Viri (*Auguſt. de Civit. Dei*, *Lactantius Firmian. lib.* 4. *de vera Sapientia*, *Suidas* aliique) unde Gymnoſophiſtarum Æthiopum mutuati enituere fulgores, unde Perſicæ Sapientiæ, & Bracmanorum Indicæ promicuere gemmæ, unde floruere Lycæa, & Porticus Athenarum, immò totius Orbis per omnem ætatem inſtitutæ coruſcarunt Academiæ, cum cuncta Solis inſtar pervaſerit naturæ arcana apprimè cuncta rimatus, tam clarè ipſa ſuis reliquit Aſſeclis inſpicienda, ut in abditiſſimis etiam terrarum ſinubus, & altiſſimis ſtellarum plagis haud palpitanti mentis acie licet eiſdem figere obtutus.

Quid autem mirum quòd talia noverit ferè ſibi quandoque obvia tam eximius præcelſi meriti vir, qui ob æquitatis aliaſque moralium virtutum prærogativas ex peculiari dono è terris in Cœlos quodammodo dilectionis alis aſſumptus rerum omnium originem meruit Deum noſcere, huncve' in ſimpliciſſima eſſentia Unum, in Perſonis Trinum fateri, Divinumque Verbum in hæc in-

ſima,

sima, quæ *Lactantius (loco cit.)* & *Suidas* meritò mirati sunt, descensurum, ut concorporatum homini, hunc redderet elevandum Cœlo?

Religiosissima Hermetis, relata à *Suida*, hæc utique fuere asserta. *Fuit Lumen intelligens ante lumen intelligens, & fuit semper mens mentis lucida: & nihil aliud fuit hujus veritas, & spiritus omnia continens. extra hunc non est Deus, non Angelus, non essentia ulla; omnium enim Dominus est, & Pater, & Deus, omnia sub ipso, & in ipso sunt. obtestor te Cœlum, & magni Dei sapiens opus; obtestor te Vocem Patris, quam locutus es primùm, cum omnem Mundum formavit; obtestor te per unigenitum sermonem, & Patrem omnia continentem propitius, propitius mihi esto.*

Pietati itidem isti cohærent, quæ leguntur Authoris ejusdem circa finem *Asclepii*, nempe — *Nihil deest Deo, quia ipse est omnia, in quo sunt omnia, ipsum nos gratias agentes adoremus. gratias tibi agimus ò Summe, & exuberantissime, tuâ enim gratiâ tantùm sumus cognitionis tuæ lumen consecuti. Nomen Sanctum, & honorandum, quo solus Deus est benedicendus religione paterna; quoniam omnibus paternam pietatem, & religionem, & amorem, & quæcumque est dulcior efficacia præbere dignaris, dum nos donas sensu, ratione, & intelligentia; sensu, ut te cognoscamus; ratione ut te indagemus; intelligentia, ut te cognitione cognoscentes gaudeamus, ac Numine salvati tuo, gaudeamus quòd nobis te ostenderis totum; gaudeamus quòd nos in corporibus sitos æternitati fueris conservare dignatus. hæc est enim sola huma-*

humana gratulatio cognitio Majestatis tuæ : cognovimus te lumen maximum. O vitæ veræ via : O naturarum omnium fœcunditas ; cognovimus te æterna perseveratio ; cujus bonitatem adorantes, hoc tantùm deprecamur, ut nos velis servare perseverantes in amore cognitionis tuæ, & nunquam ab hoc separare.

Eodem in Deum amore in libro de *Unitate Entis* exarsit, & in tractatu *Septem capitum* Deo bonum omne refert acceptum sic. *in tam longa ætate non destiti experiri, nec animæ à labore peperci. artem, & hanc scientiam solius Dei vivi inspiratione habui, qui mihi famulo suo pandere dignatus est. Ego autem nisi judicii diem, aut animæ damnationem ob absconsionem hujus scientiæ metuerem, nihil de hac scientia patefacerem, nec cuiquam prophetizarem. volui verò debitum fidelibus reddere, uti Author Fidei mihi largiri dignatus est.*

Ex his pateat, quàm mirè Deus Hermetem illuminaverit, omnibus propterea inferiorum multò magis donorum ex ejusdem Dei largitate refertum cumulis, quæ dona ad declarandam muneratoris præstantiam, bonitatem, & gloriam, unde nosceretur, & diligeretur ab omnibus, ita propagavit in posteros, ut indulta piis denegarit immeritis.

Inventæ sapienter hinc fabulæ ad contegendam impiis, reserandamve puris mentibus veritatem, devincta hinc ænigmata, hinc hieroglyphica prodiere sub animalium, aliarumque rerum imaginibus efformata. Quæ tamen omnia favente, & annuente miserentis sapientiâ Dei

eno-

enodata, & perspicua ita teneo, ut omnibus disjectis umbris, breviatis ambagibus, contractisque itidem velamentis liberè cuncta, & clarè ex clementissima Dei benignitate in *Hermetis* philosophia mihi dentur inspecta.

Ut corpora proinde cœlestia agant in sublunaria hæc, in iisque imprimant similitudinem propriam ope radiorum, qui rectà immissi, potentissimi inveniuntur, undè planetarum, immò totius axis inditæ sunt in ipsis vires, ex Smaragdo Hermetico edoceor: per hunc siderum concursus, harmonicè dissonam elementorum pugnam, concordes rerum motus, & mutuos cœlorum, terræque nexus intelligo; in naturæ arcana libero; tutoque gressu progredior; scrutor abditos causarum fontes, nosco certissimos, alternosque rerum transitus; rimor indolem, experior genium, metior vires: & ubi cùm errantium, tum fixorum luminum æmuli in hæc infima convenere nitores, ex mira agentium influxuum copiâ, & ex coeuntibus cœlestium, & terrestrium stellarum radiis; cum quæcumque sursum, ut ex vetustissimo Ægyptio Ænigmate afferente *Cœlum, stellasque omnes, quæ sursum, etiam terris inesse, à Kircherio, Christiano Adulpho Balduino in tract. auri auræ*, aliisque in thesaurum totius naturæ desumpto, cum quæcumque, inquam, sursum in forma cœlesti, deorsum in terrena substantia itidem sint, utriusque regni, supremi, & imi virtutes, quæ sub forma invisibili supernis planetarum, astrorumque omnium oc-

cultantur in ſedibus, hìc uno in corpore video quodammodo ſolidari. decuit enim (idve ad majeſtatem, & gloriam proficit Conditoris) ut omnium, quæ in Cœlis Deus operatus eſt, imago aliqua cerneretur in terris, cum par fuerit, quod in ſuperni laudem opificis, vel humili nitor detegeretur ab umbra; profuitque quòd quidquid Authori omnium per immenſam univerſi molem libuit divisìm pandere, id inviſibiliter omne viſibili perſtringeret, & complicaret in uno, ut per hoc ad infinitam Dei perfectionem contemplandam addicta ipſi mens elevaretur humana.

Et ſanè ad commendandam homini Dei omnipotentiam, & bonitatem quonam robore cuncta inter hæc idem Unum non pollet; quonam fulgore non rutilat? ipſum hoc, contemptibile alioqui cæco, quia ignotum vulgo, in tam latos divitiarum omnium, & medicaminum, immò perfectionis fines extenditur, ut rerum omnium in ſe colligens indolem, & actionem, vix totum nunc ſub ſolis terreſtris, nunc (ut centenis omiſſis nominibus me corripiam) ſub totius naturæ, & ſub univerſi imagine in Philoſophorum præcipuis libris teneatur expreſſum.

Unum tam utique præſtans, tam nobile, tam omnium donorum ubertate refertum, ut ex ipſo, & in eodem incipiat, perficiatque quidquid operatur natura, immò à Democrito ipſius naturæ nomine decoretur, ubi ex Flammelli excerptis, ait de eodem, naturam naturâ corrigi,

natu-

naturam naturâ lætari, naturæ opitulari, ipſam continere, & perficere; cognominatum propterea paſſim à *Baſilio Valentino*, præclariſſimo Benedictini Ordinis ornamento, *omnia in omnibus* (*tract.* 12. *Clavium*) & ex eodem tamquam totius naturæ promptuario ad quæcumque mira operanda, exhibenda, perficiendaque fœliciſſimè aſſumpto potuerint Sophi, ipſum naturæ ad inſtar lenitèr ingenioſo igne fovendo, puriſſimam, & ferè cœlicam ſubſtantiam elicere; quæ cœlos terris conciliaret utriſque ſimul innexis, & ſublunarium motibus harmonicè ad cœleſtium relationem compoſitis, omnia in ipſo uno rimari occluſa, & ex eodem pro libitu ad prodigium uſque aut explicare abdita, vel conficere.

Hinc ſpiritum univerſalem ad quæcumque fuerit aggreſſa perenni veluti bonorum ſublunarium ex fonte haurit parens omnium natura, ad quæcumque fuerit molita attrahit hinc vires, impura ejuſdem auxilio deſtruens, bonaque ipſius præſidio ſervans; aut reparans, circumacto ſemper rerum turbine; cum nihil æquè, ac perennis motus rerum conferat vitæ.

Id unum eſt, quod poſt rationalem animam, ſupremæ Icon Divinitatis, in ſubſtantia ſimplex, in potentiis trinum, Sale, Mercurio, & Sulphure aſſiduum confert unde cuncta ſubſiſtant. Id Unum Cœlorum, terrarumque virtutibus, veluti præſtantiſſima gemmarum omnium pantaura (*Marſ. Fic. lib. de Vita cœlitus comparanda cap.* 14.) in ſe congeſtis, omnia ſibi omnium bona coag-

mentat, ut omnia pariter omnibus impertiatur. idem Unum aqua eſt non madefaciens manus in madefacientem Sophorum igne ſolubilis; Unum enim id fons aquæ illimis eſt, quæ de Cœlo deprompta, omnium altrix (*Mich. Sendiv. in præf. in Ænigma*) alternis frigoris, & caloris vicibus, ut paſſim omnes, nunc terreſtrem in Solem perſtringitur, ut cœleſtis inſtar proſit cunctis, nunc in eam liqueſcit Lunam, in qua ex *Democrito*, nec delirante, ut ſtultè Abderitæ ipſum inſimulavere Concives, cuncta rerum conduntur ſemina, efformanda, emerſuraque in partus, ni Cataclismo merſa emoriantur. hinc exhalationes illæ evaporant ſtatis horis, quæ elevatæ, denſatæque in nubes, fœcundant imbribus terrarum ſinus. hinc rores emiſſi, qui ſe attollentes in Cœlum, unde fluxerunt, ut iterum relabantur ſuam redolentes originem per diæreſim, & analyſin ſeminum uberes reddunt agros, qui ſylvis præſtant undè progerminent, dant undè promicent gemmis, metallis unde protuberent, ſolidentur, rutilentque, animantibus unde vivant. hoc Unum ignis omnium præſtantiſſimi, quia cœleſtis eſt, ſphœra, unde artis ſagacitas tardæ opitulatur naturæ, datque ipſi unde queat libera operari, quæ meditatur preſſis ſæpe compedibus irretita. id Unum in cana eſt ciſtula vitrum lixivio plenum. hoc Unum Saturnus eſt devorans filios ſuos; idem hoc eſt Stabulum repurgans Hercules; hoc à Fimeto, ſcilicet ab etherogeneis mundati boves; verſicolor unum hoc Camaleon aëre

depa-

depastus; hoc *Morieni* cinis, quo æthereus fovetur ignis; hoc Unum innuit *Hamuelis* aquilas, quibus discerpitur subjectus Leo, ut melior, validiorque resurgat; hoc retrogrados Cadmi boves, quibus aptos exercetur, & proscinditur Sophorum ager in Sulcos. hoc signat Sapientum fimum sæpe innovandum; hoc magicæ *Anonymi Galli* rotæ designantur, & destillationes repetitæ *Baconis*, & *Turbæ*. id triti lapidis cribrum ab *Hermete* præscriptum. hoc Unum præclara est Solis, & Lunæ proles, qua præcipuorum luminum flammæ se vehiculo aëris ex una eademque origine obortæ in terras ingerunt, quibus Sol ope utique Lunæ solari lumine imbutæ, terrarum refovet sinus, istorumque conceptus radicali humore enutritos cæco, leni, & vaporoso igne coagulat, compaginat, perficitque, sejungens modo, ut in Divino Orbis opere, aquas ab aquis, modo colligens ipsas, obstringensque, ut appareat arida, excrementis sepositis, quibus naturæ, quæ par est sit semper simplex in se, implicarentur molimina.

Hoc Unum antiquissimorum omnium progenitorum suorum genitor, cujus origo Cœlum, robur ignis, nutrix, & sedes terra est, suam vix ortum enecat genitricem, sorte, sui passurum anatomen, mactandum pari, victurumque iterum fortius cunctis quodcumque solidum trajecturum, quodcumque perstricturum volatile, tenuissimum licèt, & summè fugax.

Unum hoc tam præ cæteris purum, nobile,

validum, perfectumque, quàm (cum ut ſupra ex *Democrito* idem ſit, ac natura) in ſe præ omnibus ſimplex, haud unquam deſtruendum, cum nec humido, & calido putreſcere, neque calido poſſit, & ſicco cremari, eo quòd etiam diſſona conveniant, & concilientur in ipſo incorruptibile ex peculiari Dei dono, quia ſimplex ſejunctis fœcibus redditum, cum pluralitatem conſtituentium excludat, ſeparationi, quæ omnium mors, non ſubjacet, ex quo perennem quodammodo eſt regeneratum ad vitam, omnium ex tunc formarum capax, omnium induens ingenium. Nebuloſum id aſtrum, cui ſumma lux ineſt: cœleſtis ignis, elementa omnia queis præeſt, per rotas agitans, & gubernans, ut ſervet; hìc læti vernant flores ad fœlicitatis initium; hìc aurea indeficientis autumni poma educantur; hìc Amaltheæ perennis vena theſauri; Luna hìc fertilis; hìc Sol vivificans; Saturnus aurea prorogans tempora; Microcoſmus complicata in ſe omnia condens, ut explicet. Unum tam clarum, tam proficuum cunctis, ut bonorum omnium donis exuberans, ut eliminet omnem, ut ait *Hermes (in Tab. Smaragd.)* ab homine obſcuritatem, ſive hæc ſit mentis, ſive ægritudinis, ſeu paupertatis cum in eodem pateant initia rerum, mutua harum affinitas, alterni tranſitus, motus ſympatici, vires, progreſſus, incrementaque plena.

Unum tam pretioſum, tantique roboris, ut devictæ fugiant propulſatæ ab eodem morborum

acies,

acies, & ope ejusdem ineshausto Copia cornu divitias non defuturas congerat, ut profundat, nunc cristallum artis auxilio vel malleabilem reddens, vel in præcipuas gemmas attollens, nunc unionibus rugoso senio pallentibus amissum candorem reparans, nunc vilia metalla ex Mercurio inæqualitèr puro in supremos lucis, & pretii gradus exaltans, ipsorumque metamorphosin semper operans.

Cum itaque hujus inquirendæ, & regendæ unitatis tantæ laudis vir author sit *Hermes*, nempè tam claro præ cæteris sublimis merito, à Domino præ cæteris muneratus, ut ipsi Divina Bonitas revelaverit abditissimos profundissimæ sapientiæ recessus, in quos faustè penetraret omnibus profuturus conspicui dignitate magistri, & se ipsam, ut diligeretur cognita, communicaverit ipsi, unde tot philosophantium myriades per omnem ætatem in omnibus terrarum regnis ejus fœlicissimè adhæsere doctrinis, dignum proinde, & honorificum ducens inter tam laudabilis studii sapientes asseri, vel saltem tyrones inter admitti, ad ingenii exercitamentum, & decus Hermeticam Philosophiam, prout à *Boetio* delineatur (*de consol. philos. lib. pr. prosa pr.*) nunc contractam se è cœlis demittentem in terras, nunc è terris agnitos se attollentem in cœlos, sum longa meditatione animi, & calamo aggressus, difficillimam licèt sanè rem, & nullius alioqui laudis in hoc sæculo studiosissimo vitiorum, utpote neglectam ab ignavis, spretam à rudibus, repræhen-

henſam à principibus viris, ab eruditis, qui ſæpe arbitrantur, non dari quæcumque ignorant, ludibrio habitam, caligantis mundi vitio depreſſam, ab ipſis ejus aſſeclis, adeptiſque, penes quos unicum eidem apparabatur effugium, millenis tricis, involucriſque involutam, liventi fermè arte poſitam alienis odiis obnoxiam, totoque Orbe, ut de aſtronomia *Tacitus* (*lib.* I. *annal.*) *potentibus infidam*, *ſperantibus fallacem*, *vetandam ſemper*, *&* *retinendam*, ità omnibus proſcriptam ſæculis, & ardenter æquè exoptatam, ut vix ulla proceſſerit, vel adventura ſit ætas, quæ non rejecerit, & non exquiſierit, & non excuſſura, & non amplexura ſit ipſam detrectantibus, & damnantibus etiam amabilem.

Hinc vel in ipſo Sepulcri Hermetici limine muſſitantibus extra labiis, animis tamen intus probantibus, ubi penè omnes, vitato adverſantium invidorum impetu, ad vulgi genium faciem extimam componentes, in tuto cordis abdito congerunt meliora, & carpar ſimul, tacitiſque internis plauſibus decorabor à multis eo quod contra perſonarum inſectantium, & adamantium populorum ſenſum validis ſuadentibus rationibus puræ veritatis luminibus irradiatus in fulgentiſſimæ ſapientiæ templum vim omnem direxerim euntis animi, ejuſque vix paucis notas pulſaverim ſaltem fores, aliquando forſan & mihi reſerante Deo ſubeundas, cum aliis etiam eà, qua teneor, dilectionis lege ſub ænigmatum tropis, & ſymbolis ipſas indicaverim penetrandas.

das.

das. neque enim adhuc, tanti licèt consors luminis, tam claram attigi metam, nec tam exuberans bonum fœlici perstrinxi pollice, sævissimis usque modo distentus curis, & avocatus ad alia sub iniquissimæ persecutionis exudans æstu, maturiori fortasse sorte beandus, ni nimis audax, Prometheus alter immeritus, surrepto è Cœlis igne discrucier. Sed fictis, placidisve terrebor hostibus, veros, & acerrimos contempturus?

Ad omnem censuræ severitatem compositi, promissâ barbâ austeri, duplicibus togæ, & animi sordibus luridi conjurati Misosophis ringant jam Sycophantæ Chemiæ osores hæc oscitantèr lecturi, invalido insanientis iræ conatu incassum semper oblatrantes in Lunam canes, & quæ Indici non percipiunt psittaci, effuso in voces rostro detrectent, modò Hermeticam obductam fraudibus, modò dolosè effictam dicentes artem; quæ metamorphosim spondet metallorum, quasi non dentur plurima, quæ cum à natura, tum ab arte ejus æmula confecta sint, ut demonstrari potest in hydrargiro, in Mercurio ex diversis metallis extracto (*Plin. libr. 33. cap. 8.*) in Sale, in electro, chalchanto, cinnabari, & in millenis id genus aliis, prout etiam in unionibus, & lapidibus pretiosis, quos vulgato ingenio sat frequentèr industriæ nunc efficiunt, vel imitantur artificum. *Ubi nam enim*, adhuc ajunt, & in posterum eamdem artem impetituri, *in toto terrarum inventus est Orbe, qui vel semel, effecti diu boni compos, ejus metam attigerit? tot inter*

ter philosophantium, immò delirantium turbas ne concessa quidem fuit uni, cum omnes ea frustrati spe, qua miserrimè freti, absumptis, quibus affluebant, opibus, lacrymabili sanè, & temporis, & vitæ dispendio, immo quandoque jactura & animæ extremam tenuerint somniati vice lapidis urnam.

Ars tam ubique mala, quàm semper latitans, odit siquidem lucem, unde proscripta à legibus, devinctaque pœnis, si non absumpta; tam spreta à prudentibus, quàm fallax; tam à Sapientibus neglecta, detectis illustrium mendaciorum larvis, quàm invalida; futilis, vilis, & levis umbra scientiæ: abominabilis, semper exosa; sui ipsius, semotis etiam hostibus, pavida, exlex enim; semper exul, semper profuga, in salebrosis, & inviis semper abdita; impiis, & flebilibus tantùm fraudum, paupertatis, & miseriarum cœtibus comitata, eo quod privato, & publico obsit ubique bono, nullibi propterea diu passa tutò consistere.

Numquid à Nebulonibus ipsa, aliisque hominum spectris incessit unquam sejuncta? quin potius impostoribus, thrasonibus, & agyrtis, quandoque etiam cupedinariis, & laniis, ubicumque tibi furtìm occurrerit stipatam videris ad dolos omnes instructam, & solâ mendaciorum magnificentiâ claram, semper in diversa distractam, volubilem in assertis, nunquam eandem; nunc siquidem alios ad disquirendum philosophorum lapidem profunda mentis indagine in chalchanto, in arsenico alios, alios in Sulphuribus attrahit. istis hydrargirum, illis plumbum commendat, nunc ova, nunc sanguinem, nunc capillos, nunc cinerem,

nunc fuliginem in aurum vertere pollicetur, nunc ab auro ipso animam, ut ipsa loquitur, conatur avellere, ut sibi Corpus propriæ jacturâ animæ usurpet. & nunc huc, nunc illuc, etiam ad sterquilinia diversorum gregum, & in latrinas usque progressa deliramentis suis, ex volubilitate, & varietate ipsa opinandi se in incerto positam detegit vel invita.

Is autem tam frequens error quot impostorum fraudibus asperatur? Quot inexplebilis avaritiæ augetur technis? quot aliorum criminum vallatur turmis? altissimâ injuriâ Principum adulterini hinc nummi, elusæ hinc spes, per alieni æris hirudines marsupia emuncta amicorum, domestica jam ubique locorum damna, substantiæ absumptæ Provinciarum, enervata Regnorum robora, criminosa dispendia tam ubique nota, quam visa, unde ipsa hìc recensere supervacaneum, eo magis, quia quædam ex his, qui volet eadem execraturus penes Blavenst (cap. 4.) inveniet, quædam pariter apud Martinum Zeilerum (centur. 1. epist. 9.) plura in Mundo subterraneo Kyrcherii (lib. 11. sect. 2.) & apud Michaelem Mayerum plurima ubi de fucorum pseudochymicorum examine, unde itidem plurimi grassatorum, & furum contubernales nunc ultrices Principum cruentavere secures, nunc infamibus lignis addicti periere.

O Convicia tantis digna calumniatoribus tam sanè cæca, quam ipsi, egregiis æquanda tantum authoribus suis! taliane de rebus hi, quas nunquam percepere, pronunciant? proh tàm iniquos judices, quam ignaros! cur potius non audiantur tot primi ordinis Patres, qui Chemiam

jam non tantum validiſſimarum rationum robore ab inſectantibus vindicarunt, ſed etiam experti ſunt? quot Sapientiſſimorum virorum auctoritatibus, & rationibus tuentur ipſam *Lullius*, *Arnaldus*, *Mayerus*; *Robertus Vallenſis*, qui de veritate, antiquitate, & præſtantia artis Chemicæ dedit doctiſſimum tractatum integrum, &, omiſſis aliis, *Joannes Criſippus Fanianus*, qui alterum abſolutiſſimum edidit librum de jure ejuſdem? mille illuſtrium Philoſophorum præclariſſima adhuc monumenta ſuperſunt, quæ Chemiam roborant contra omnes obloquentium impetus, ejuſque baſin ſtatuunt; unde tam ſtabit inconcuſſa, quàm validè tuta, plenè verax, & certa

Irrita ſpernendi reddet conamina vulgi.

Quod ſi facultatis ejuſdem profeſſores inclyti ſub vilibus, obſcuriſque paupertatis laribus ſe continuere, & uſque nunc deliteſcunt, ubi cæteri philoſophantium inter divitiarum enituere paludamenta, & ſe vel nunc, ad delicias uſque, indulgentes genio, vitanda in oblectamenta demittunt, vel gloriæ inanis cupidi, & gratiam Principum licèt vitro fragiliorem aucupaturi, liventes inter miniſtros frequentarunt, & otioſo recurſu hoc etiam ſæculo terunt aulas Regnantum, quales olim *Dionyſii Plato* (prætereo reliquos currentis temporis) *Ariſtoteles Alexandri*, & poſſidentes Dei donum theſauris omnibus pretioſius clam ſe recipiunt in abditis, vel inter humilis ſortis anguſtias peragrant Orbem, ſpontaneam oſtentantes inopiam, eſt ne vitium in ip-

ſis

sis animi moderamen, parsimonia, & frugalitas, quæ virtutis titulum apud gentes omnes semper tenuit & meritum? Sobrietas, & paupertas tam læta, quàm libera, divitiis omnibus tutior, non luxuries opum, *ebrietasque malorum omnium metropolis* (*Atheneus libr.* 10. *cap.* 3. *&* 15.) *Pithagoram* laudibus insignivit. pede insono tutiùs graditur, ne inopinatò deprehendatur ab invidis, proborum hominum custodita fœlicitas; quæ cum possit, si se prodat, obesse possessoribus suis, *in tacito, & piè gaudenti sinu*, ut ait *Cosmopolita* (*Sendiv. in præf.*) condenda est, *in se planè Summa, cum*, ut ait *Fabianus Philosophus* apud *Senecam* (*Suasor.* 1.) *constiterit arbitrio suo*.

Chemia exosa, proscripta, dedecorata suppliciis; sed à quibus? ab insciis dumtaxat carpitur, qui priscâ ineptia, stultitiave Chinentium ultra suorum murorum lineas haud alias terras arbitrantium porrigi cum nihil ultra vidissent, temerè ausi sunt asserere neminem scire, aut non dari quæ non viderint, aut quæ nesciverint ipsi: viri, quibus tam parvus est Orbis, quàm brevis visus.

At *consortia*, inquiunt, *fugit hominum*. debuit, ut consuleret sibi. an non vulpinis fraudibus, immò & avidè cruentis inexplebilibus belluis concursantur jam non tantum sylvæ, sed Urbes tam inversis naturæ moribus, ut ubi homo homini datus est in auxilium, ad efferè moliendam alteri occurrat sæpè perniciem? quotnam transactis sæculis quos veri ingenuè Chemici arbitraban-

bantur fratres ; sævissimos , & serò quidem deploravere inimicos ? sed cum de nequitiis hominum scripserim in fine *Libri secundi Sepulcri Hermetis* , & *initio tertii* , ad alia propero.

Tamquam in se numquam eadem , *sed semper volubilis in diversa* , ceu fallax igitur , & dolosa mendacii arguitur, & ex inconstantia damnatur. ab iisdem tamen insimulatur illis , qui ipsam versicoloratis præcinctam velamentis suis, & variorum ænigmatum , symbolorumque involucris mysticè opertam , detectam nunquam videre, immo nec ejus intellexere terminos , quin ne nomen quidem : tam distat quòd ipsam noverint . & tantæ nunc sunt auctoritatis calumniatores , & obtrectatores hujusmodi , ut quæcumque etiam in sibi ignota dixerint , admittantur ? suntne mendaces Rhetores ex metaphoris, allegoriis , & frequentissima varietate troporum res emphaticè augentium ? nonne omnis obtundetur dicentium sapor amotis his? quotnam sunt quæ quodammodo incedunt sub alienis vestibus , sub mutuatis imaginibus personata, nec ita à se recedunt , ut desinant esse, quæ fuerint?

Latitat , addunt . oditne igitur lucem ? hincne depræhenditur improba ? stulta illatio . qui thesaurum facit obvium cunctis , nonne prodit seipsum (*Gregor. hom.* 11. *in Evang.*) depredari desiderans ? Ezechias ostentatis divitiis (*Reg. l.* 4. *cap.* 20.) Assyrios extimulavit ad prædam . ob notum Ærarium Olympiade octava, & quinquagesima Cresus (*Solin. cap.* 7.) Cyrum flevit raptorem.

rem. Darius ob congestum aurum (*Justin. hist. lib.* 11.) sub Alexandro deperiit. è contra sapienter Ægyptii, collectas, auctasque Arte auri massas in pyramidibus absumpsere erigendis, ne thesaurorum fulgoribus finitimos, & remotos etiam hostes allicerent. utinam itidem congestam gazam occuluisset à pompis abstinens, vel sic erogasset & Roma! non tam frequens barbarorum sub *Alarico*, *Genserico*, *Odoacro*, *Totila*, aliisque ipsam suis factam populis (*Hier. l.* 1. *Epist. select. Epist.* 34.) matrem, & Sepulcrum diripuisset, & devastasset invasio. ad quid non adigit homines fames auri! nihil est quod non audeat. hæc quod æquè juramento sancitur, iniquissimè violat; pudicos hæc thoros maculat, insontibus laqueos nectit, fidem abrogat. hæc devinctos amicorum solvit affectus, hæc jura conculcat sanguinis, hæc populos armat in regnorum perniciem. hæc, fractis Divinis, civilibusque legibus; totum hominum genus disterminat, & nec cadaveribus parcens, sepulcrorum etiam effodit monumenta. maximum auri pondus, quo octo cellulas (*Jos. Hebr. antiq. l.* 7. *c.* 12.) ad celebranda regii patris ossa oppleverat Salomon, non diu latuit avidis inhiantium oculis, partìm enim Hyrcano cessit, partìm postea ab Herode direptum. Semiramidis Sepulcrum (*Herodotus l.* 1.) Darius ausus est inspicere delatâ sibi divitiarum copiâ illectus simul, & frustratus, elusus enim, vacuam spem (*Quintil. lib.* 6. *cap* 3.) vigilantis somnium expertus. Claudius Nero, haud absur-

dè mero etiam dictus, qui, ebrius fortasse, *tam perpetuam, singularemque concepit fœlicitatem*, ut in ejus vita *Svetonius* (*cap.* 49.) *ut amissis naufragio pretiosissimis rebus, non dubitaverit inter suos dicere, pisces eas sibi relaturos*, abditis in Africa Tyriæ Didonis opibus (*Svet. cap.* 31.) perquirendis non leve studium impendit.

Sed extimis pepercissent homines, vel prope telluris superficiem positis cumulis divitiarum, quibus auri ingluvie adactis nullus est summè arduus licèt labor, nullum vel ipsius vitæ discrimen, quod non libentissimè subeant, unde trajiciunt flumina, tranant mária, in remotissimas etiam terras sub ignotis astris immutato polo commigrant, ut sæpissimè in effossos etiam altè cuniculos se immittant, *sub ruina*, ut disertissimè *Seneca* (*nat. quæst. lib.* 5. *cap.* 15.) *supra lucrum immoraturi?*

Quod verò Thrasonibus, Agyrtis, aliisque vulgi abjectissimis fœcibus se communicaverit unquam Chemia, convicium hoc tam planè, quàm calumniatores ipsi, de deliramento participat. & quandonam ars hæc æquè nobilis, ac sublimis (de vera siquidem, & legitima hìc sermo est) se tam miserè demisit in ima, ut schedulas inter venalium pharmacopolarum, & in Agyrtarum figmenta se abjecerit, illis unicè sueta revelare se viris, qui præcelsâ ingenii laude, & morum probitate florerent?

At exercent ipsam, resumunt pertinaciter adversarii, ut decipiant ingenuos, mendaces improbi.

probi. ars igitur optima ex quorumdam artificum vitio, alienâ scilicet culpâ, damnabilis? cur non est execrabilis & medicina, in qua tot cædes eveniunt, laniena aucta magis rudium cæcâ feritate medentium, quàm sævitie morborum? an Jurisprudentia, quæ præcipua justitiæ, & æquitatis administra est, & suum unicuique dividens jus, pacis est redux, & reparatrix divitiarum, erit detestabilis ideo quia

——— *clamosi rabiosa fori*
Jurgia vendens improbus, iras,
Et verba locat? (*Sen. Herc. fur.*)

sæpe immo vendens adversario ipsi Causidicus fidentem sibi Clientem, ut egregiè advertit integerrimus, & doctissimus *Paulus Rubeus* Jurisconsultus Romanus (*in prælud. in resol. de Testam. à num.* 578. *usque ad* 624.) jam non pugnat, ut vincat, sed (sitque citra injuriam proborum, qui Curiam decorant) nexus addit, ut vinciat? quisnam est adeo stultè impudens, quis tam temerè impius, ut Theologicam facultatem abominabilem dicat eo quòd etiam Hæresiarchæ, licèt sacrilegi, sibi theologorum usurpaverint nomen? stetit, & stabit adhuc semper immobilis, semper clara, & integra Theologiæ sanctitas, & majestas à pseudomagistrorum probris, & erroribus minimè temeranda: stabit semper immunis à dolis jurisprudentia, nullis malè utentium fraudibus offuscata: stabit ars Medices minimè dedecorata maculis ineptorum, ceu firmissimis tot Sapientum suffulta columnis, stabit Chemica; nulla etenim

ſcientia, nulla facultas, ars nulla ex aliorum ſordeſcet unquam erroribus, nec ab imperitia, vel vitio artificum deprimetur. ager etiam Eccleſiæ habet paleas, habet ariſtas inter & zizania: eſtne hinc tritici deteſtabile nomen? quin frumentum Electorum videant obtrectatores menſæ eſſe Domini deſtinatum.

Haud itaque tot licèt oppugnata hoſtibus, tot percuſſa ictibus corruet Chemia, ſed ſubſiſtet ſemper tam validè conſtans, prout etiam adeo ſemper conſtitit inconcuſſa, jam non tantùm licita, nullo enim unquam jure, quod legerim, vetita, ſed altè laudabilis etiam, firmiſſimis fulcta rationibus, quarum libavi aliquas in ſubſequenti poeſi (*lib.* 2.) ut trahere fœliciſſimè potuerit præclariora academiarum omnium ingenia, ſibique aſſerta, devinctaque ducere, illuſtrium aſſeclarum pompâ ſpectabilis. Cum verò in hac arte occulta, ut ſcripſit *Bernardus Treviſ. in tract. ſuo Chemico*, ut in aliis ſtudiis phyſicis *experientia practicæ debeat veritatem theoricæ corroborare*, quod paritèr aſſeruit *Henricus de Rocbas* (*in initio ſui tract. de lap.*) quotnam (unde impudentiſſimum refringitur adverſariorum aſſertum, quòd nempe nemo fuerit veram Chemicam aſſecutus) quotnam, inquam, remotiſſimorum temporum doctiſſimi, & ætatum omnium teſtimonio probati omnium ſcientiarum numeris abſoluti primi ordinis viri ipſam tenuere, & tutam ejus reliquere poſteris methodum & metam in libris ſuis? tales in Ægypto olìm præfulſere *Vulcanus*, *Mercurius*,

rius, & semper laudabilis *Hermes*, qui facem posteris prætulit inquirentibus ipsam, quâ freti Ægyptii Romanis, quibus premebantur, bellum inferre sunt ausi, à Diocletiano (*Suidas*) à cujus tyrannide philosophorum cæsi tunc plurimi, librique incensi, repressi, & graviori jugo subacti. *Pithagoras* item Samos decus inclytum, qui Bracmanorum, & Gymnosophistarum auditor prædivitem hanc intulit sapientiæ mercem in Græcos fines, & *Democritus* ex Patre Abderitarum locupletissimo natus, qui solus, si Pythius Lydius (*Herodotus*, *Plin. lib.* 33. *cap.* 10.) unicè excipiatur, adeo innumeris dedit epulum Xersis copiis, *ut fiduciâ virium* (*Just. hist. lib.* 2.) *montes in planum deducerent, & convexa vallium æquarent*, maximarum opum possessor, & aspernator. addendi his *Geber*, *Morienes*, *Avicenna*, milleque alii, immo & his proximis elapsis sæculis *Arnaldus*, *Lullius*, *Basilius Valentinus*, qui primus detexit posteris philosophorum subjectum, *Albertus Magnus*, *Augurellus*, *Marsilius Ficinus*, *Fernelius*, *Zacharius*, qui (sed innumerorum quis texat Indicem?) in lucubrationibus suis Chemicæ veritatis lumina diffudere. & sanè ex ipsorum paginis, quæ adhuc extant illustrium in scientiis omnibus, adstipulatæ sibi invicem, roboratæque testimonio virorum, constat eosdem Chemicam artem, quæ impugnatur temerè, adeptos. quin & in extrema hæc usque tempora, ut per omnes ætates semper hominibus Divinæ Sapientiæ, cujus spiritus sui diffusivus (*Sap.* 1. 6.) benignus est,

emicaret immensitas, assidua ferè experimenta, quorum quædam *in Ephemeridibus Germanicis (anno 1. observ. 17.)* enarrantur, & alia leguntur penes eruditissimum *Kircherium*, *Mayerum*, aliosque, non defuere, quæ impetitam ab invidis, insciis, incredulisve, vindicatam, & liberam Chemiæ redderent veritatem.

Sed osores ejus his lacessiti, sævientes canum instar in lapides, quibus læsi, in ipsa hæc obloquentes, detrectationum armabunt iniquitatem eo quòd non obtenta edocens, quæ prospexi bona spoponderim, immo quodammodo non possessa, & quæ remota donaverim: occurrat verò nec Archetypos omnia implesse opere, quæ percepere, delinearuntque concepta; nec omnes qui bellica tractarunt calamo, se receptos olim in Castris. quot de exercendis agris scripsere, qui nec regendis ad lineam bobus, nec stivæ dedere manum? numquid bubulcus *Maro* eo quòd de agrorum, herbarum, arborum, segetum indole, cultu, ingenio ad prodigium usque, ut ejus testantur opera, differuerit? numquid cuncta perspexit *Plato*, libravit cuncta, perstrinxit qui in egregiis *Tymeo* inscriptis libris de cunctis egit, etiam cœlestibus? possunt utique divisim dari & cognoscere, & agere, & possidere.

Quod verò asperrimis vexatus curis assiduas inter fortunæ sævientis injurias occinerim, quo insuetam diras inter calamitates robore propugnabo lætitiam? cum abditis à prima ætate studiis ab iniquis, confertisque scelesti sæculi hujus secesserim

rim fraudibus, reluctantibus licèt tumultuantium, quibus diu impetitus acerrimè, & adversantibus fluctibus invidorum, halcyonum more mihi vel undas inter, reclamante etiam hyeme, compositâ tranquillitate, efferis juratorum malignantium spretis armis, & astubus, ita me totum, irrito licèt fortasse nisu, sapientiæ instituendum commisi, ut ejus saltem ardore raptus me major, turbines, nymbos, nubesque, Olympo similis, infra me viderim; vis siquidem omnis invenitur invalida ubi constantis animi fuerit arcem aggressa; tantâ nempè securitate munitus, tantâ ipse (ubi soli Deo notus & sibi cupiditates omnes irritamenta blanda malorum furtìm vellicantia devicerit) tantâ, inquam, ipse securitate contutatus fruitur puro absorptus flumine voluptatum Civitatis Dei, tanta veritatis luce emicat circumfusus, ut se planè contentus, nihil extra se quærat, & vel procelloso vitæ hujus jactatus æquore, inconcussus etiam inter ruinas, & imperterritus perseveret.

Si fractus illabatur Orbis,

Impavidum ferient ruinæ. (*Hor. lib.* 3. *Ode* 3.)

Usque adeo virtus est ipsa sibi munimen, est ipsa sibi salus, ipsa sibi merces, & præmium.

Non ideo tamen eam unquam affectaverim delirantium Stoicorum fictæ perfectionis laudem, qua me dixerim sensus omnis expertem. passas quidem omnes persensi calamitates, quas, præstante Deo robur, & vici; sed inter ipsas ad quoddam animi levamentum, quales ut plurimum so-

lent quotquot longo diſcrimine cum adverſitatibus, vel aſſiduis laborum exercitamentis congrediuntur, mente, & calamo cecini illius ſuaviſſimè infortuniorum ſævitiem mulcentis Exulis ad exemplar, qui in hæc carmina auditur adhuc

Hoc eſt cur cantet victus quoque compede foſſor,
Indocili numero cum grave mollit opus.
Cantat & innitens limoſæ pronus arenæ
Adverſo tardam qui vehit amne ratem;
Quique refert pariter lentos ad pectora remos,
In numerum pulsâ brachia verſat aquâ.
Feſſus ut incubuit baculo, ſaxoque reſedit
Paſtor, arundineo carmine mulcet oves.
Cantantis paritèr, paritèr data penſa trahentis
Fallitur ancillæ, decipiturque labor.
Fertur & obducta Lyrneſſide triſtis Achilles
Æmoniâ curas attenuaſſe lyrâ.
Cum traheret Sylvas Orpheus & dura canendo
Saxa, bis amiſſa Conjuge mœſtus erat.
(Ovid. l. 4. triſt. eleg. 1.)

immo graviſſimas inter adverſitates eo lætior, & fortior ſe erexit animus, quo magis per eadem luctæ aſperrimæ tempora ſubluſtris quædam inſtantis boni ſe mihi revelabat imago. ſolet quippe clementiſſimus Deus, ne ſuperbiat, ærumnis hominem exercere, & frequenter proſperis *(Chryſoſt. Hom. 8. in Matt.)* ne deprimatur, erigere; & ubi largiori manu prædiſpoſuerit ſumma ipſi dona profundere, ipſa irriſionibus, proditionibus, anguſtiis eo conſilio præcurrere, ut magis cuſtodiantur, deneganda impiis, obtenta. Cor,

quod

quod novit amaritudinem animæ ſuæ, in gaudio ejus (*Prov.* 14. 10.) non miſcebitur extraneus. Et profectò in majori habentur pretio, nec improbis communicantur, etiamſi (ut ipſos paſſus ſum ego fictæ amicitiæ dolis peſſimos) duplicatis per ſummam fraudem clavibus, intima in penetralia ſæpe furtìm irrepſerint, nil attamen obtenturi, nec improbis, inquam, communicantur quæcumque anxio, diuturnoque labore, vel longo diù quæſita ſtudio ſunt parta.

Unum, quod reſtat, diſquirendum eſt modo, an in ſubjecto Hermetico erraverim, quòd *Antimonium* tantummodo eſſe, *at Sophorum*, idque ſtrictè unicum dixi *Libro tertio Sepulcri*. neque enim meum hìc eſt de Veritate Hermeticæ Artis agere, cùm ne nimis latè, quàm par eſt, vager, tum quia ſat egregiè, & fusè ipſam demonſtrarunt theoriâ, auctoritatibus Patrum, & praxis experimentis ſæpe ob oculos datis Philoſophi, ut in præindicatorum Authorum libris, aliorumque tractatibus perſpicuum fit, & multo minus de ſingulis vel prærequiſitis ad artem, vel comitantibus ipſam, utputa de furno, igne, aqua, terra adamica, diremptione partium, lotionibus repetendis, animatione, ut ajunt, Mercurii, aliiſve ſpectantibus ad idem opus diſſerere, ne idem prorſus immeritis denegandum, unde ipſum ſat intextis opportunè tricis involvi etiam ubi aperire ipſum videor, ne, inquam, idem doctrinæ congeſtæ collectæque viliſſimæ etiam plebi revelent, quæ diviſìm poſitæ, diſſitæ-

que

que difficilem indicant tantùm, non pandunt ſalebroſam, & anfractibus aſperatam ad ipſum viam.

Quot quidem technis Scriptores omnes tanti verum ſubjectum operis ſapienter involverint, quàm nempe variè, obſcurèque deſcripſerint, ne ipſum proſtituerent indignis totius rerum omnium inverſione ordinis, & detrimento extremo virtutum, & ne de eodem Libri ſtatìm commendata memoriæ artis methodo, comburerentur ab invidis, qui in pluribus ipſorum voluminibus diu ſatis incubuere, pronuncient. hinc tam multiplici incedit ænigmate perſonatum, tantoque innumerorum penè nominum faſtu, apparatu, & ad tumultum uſque congerie ſtipatum, ut datis ipſi cunctarum ferè rerum, quarum ex *Theobaldo ab Hogbel.*, aliiſque collegit plurimas ingenioſus *David Lagneus* (*Harm. Chem. cap.* 1.) datis, inquam, ipſi cunctarum ferè rerum nominibus, omnia ſanè hoc reputandum, & aſſerendum ſit unum, nec ſe mendacii reos hoc erudito ludo arbitrati ſunt Sophi, cum eidem Uni omnia, ut pronunciavere, ſint indita, unde ſucceſſivè exorta, profectaque, in idem aſſiduo rerum turbine reditura. & ſanè quidquid fuit in globo hoc efformatum à Divino incircumſcriptæ Mentis Opifice, irrequieto motu circumvolutum momentis omnibus (quæ rerum rota ad naturæ proficit conſervationem, perpetuam, mutuamque præſtans productionem corporum, & diſſolutionem ipſorum, novos ſemper editura conceptus) ut relaba-

labatur ascendit. hinc Unum hoc ipsum ab eadem natura Deo ipsam regente diremptum, unde Rebis fuit sæpe dictum à Sophis, bina scilicet res, superiorem pàrtem, nempe elevatam ejusdem esse essentiæ ostendit ac est inferior, pars scilicet residens, benigno naturæ igne, summoque ingenio paritèr elevanda, ut mysticis ita rotis totus solvatur lapis in aquam, in ventre venti (*Tabula Smaragd.*) asportandam; idque assiduo depræhenditur experimento, cum plenè pateat scrutatoribus rerum perpetuo cuncta motu circumagi; unde natura ipsa omnia mutationibus temperat, peragitque.

At ubi tutioribus vestigiis libeat progredi, & attingere veritatem, quæ in uno utique sita est, ubi magis Sapientum Chemicorum Scholæ, & placita ipsa concurrant, ut optimè asseruit *Comes Bernardus Trevis.* cum aliis pluribus, ubi magis conveniant asserta ipsorum, quibus reliqui omnes conformes se præstare tenentur, ni velint (quod planè temerè auderent) novam sectam, nova asserta, novam penitus artem, & novo prorsus fundamine, at super arenam jacto, vanis commentis, vacuisque ingeniorum larvis novam scholam efficere, novamque rem ponere, vel omnem Chemicam prorsus denegare doctrinam, ibi sanè camdem, veritatem nempe delitescentem, & penè sepultam licèt, dabitur quantum fas est pleno gaudio mentis inspicere. ad sapientiæ lancem pendenda itaque cuncta, & exactissimè vestigata naturæ, quæ exemplar est artis, methodo, subje-

ſubjecto, ingenio, & robore in productionibus rerum, ubi profundiſſima, & diutina contemplatione mentis perſcrutato principio ipſarum, quod in uno perſtringi, & ex uno proficiſci, ut aſſerui, neceſſe eſt, quiſquis idola proprii tenaci errore non veneratur ingenii, veritatis unicè cupidus, deveniet certo tramite ad illud *Unum* nuper hìc indicatum, cui ſingula, & potiora conveniunt, quæ ſparsìm & paſsìm variè à Sophis de eodem fuerint enunciata, perſpicuève cognoſcet, ipſum eſſe à Deo inſtitutum in rerum omnium materialium exordium, & conſtitutivum ipſarum. ſepoſitis igitur, quæ ad ſubjectum ipſum altiùs tuendum, celandumve vel remotè nimis, vel divisìm perpauci clarè de eodem ſcripſere Sophi, ea, quæ in ipſorum libris frequentiſſimè occurrunt, ad detegendam veritatem ad amuſſim inſpiciantur, diſcutianturque, ut quæſitam diù gemmam ſtudioſus Tyro ſibi gratuletur inventam, & inveniet profectò, ubi quod inquirit Unum, intelliget naturæ eſſe metallicæ, peculiarive Saturni influxu progenitum, Sapientum ſcilicet, non vulgi haud omnibus obvium Antimonium.

Quod autem omnes & minoris ſubſellii, & præcipui etiam, quotquot ſunt, primi ordinis Patres, legitimique omnis claſſis quotquot fuere doctrinæ Hermeticæ filii de *Uno* egerint, conſenſerintque in eodem, patet ex pretioſiſſimo *Smaragdo Hermetico*, in quo clariſſimè legitur *ſuperius eſſe ut inferius, & è contra ad perpetranda*

mira-

miracula rei Unius. : Unius, non plurium; & paucissimis interjectis, additur *omnes res ab eadem una re natas* . nec ambigendum aliqua ibi Hermetem præteriisse, cum idem claudat ænigma his verbis : *completum est quod dixi de operatione Solis* . quæ dilucidans ubi scripsit in eandem *Tabulam Smaragdinam Garlandus* sub *Hortulani* nomine (*cap.* 3. *prope finem*) extrema exponens *Hermetis* verba, *Completum est*, ait, *quod dictum de operatione lapidis trium colorum*, *& naturarum existentium in unica re*, *scilicet in solo Mercurio philosophico*. *Completum* : igitur dixit omnia.

His adstipulatur *Turba Philosophorum*, antiquitate, & doctrinâ gravissimæ auctoritatis liber, unde ibi *Scites* : *Unum quid est*, *quod est omnibus rebus fortius*, *& sublimius*, *apud incipientes verò omnium rerum est vilius* . & *Mundus* ibid. (*Serm.* 18.) *nihil aliud est*, *quàm aqua permanens*, *ex qua lapis noster pretiosissimus generatur*. & *Mosius* ex eadem *Turba* (*Serm.* 44.) *hoc Unum*, *quod sæpè nominatum est*, *Philosophi multis nominibus nominaverunt*. *Eximenusque* pariter in eadem, sic : *omnibus metallorum nominibus Philosophi aquam nostram*, *& opus nostrum nominaverunt* ; *utcumque autem vocent*, *semper ipsam aquam significant*.

His concurrunt adeo reliqui, ut videantur omnes uno idem, eodemque scripsisse calamo, uno, eodemque ore locuti. in hujus robur afferti feram quosdam in testes.

Totum magisterium nostrum fit cum aqua nostra, *& ex ea* (*Rosinus ad Sarabant.*)

Dico

Dico tibi quòd hæc res est una, vas solum, coctio sola (*idem ad eumdem lib.* 2.)

Mercurius est sperma omnium metallorum, & sic primordialis ipsorum materia est una. (*Semita Semitæ in princ. libri.*)

His consonat liber inscriptus *Clangor Buccinæ*, ubi in hæc verba: *Mercurius est radix in Alchemia, quoniam ex eo, per eum, & in eo sunt omnia metalla; est autem istud argentum vivum una res; & de una re exit.*

Cohæret *Geber* scribens: *est lapis unus, medicina una; in qua totum magisterium consistit.*

Michael Sendivogius arridet, unam rem exigens sub his verbis: *Simplicitas veritatis sigillum. sit res simplex prout natura, quæ pariter simplex est. manete in via simplici naturæ.*

Idem asseruit *Morienes Romanus*, ubi ait: *hujus rei prima, & principalis substantia, & materia est una, & de ea unum, & cum ea fit; nec aliquid sibi additur, nec minuitur*, & interjectis paucis: *sic meum magisterium ex una fit substantia, & materia.*

Ipsum sequitur *lucerna salis Philosophorum*: *res non est nisi una, ex qua ars nostra veram se esse profitetur, & in ea tota consistit.*

Et *Richardus Anglicus* (*in correct. cap.* 11.) *lapis est unus, una medicina; & licèt dicatur Rebis, scilicet bina res, hæ tamen duæ res sunt una res, ex qua medicina perficitur.*

His additur *Raymundus Lullius* summi ingenii vir, qui sic: *non debet esse* (*in tract. cui titulus: Potestas divitiarum*) *terra extranea, sed, ut dicit*

Geber

Geber lib. 1. *cap.* 2. *Lapis unus, idest argentum vivum, medicina una, cui nihil extraneum additur, nisi quod in præparatione removentur superflua.*

Idem sancit *Bernardus Trevir.* dicens, *quod argentum vivum sit metallorum omnium materia.*

Arnaldus Villanovanus adjicitur dicens: *in rerum multitudine ars nostra non perficitur, una enim est, est enim* (*Rosar. Arnaldi lib.* 1. *cap.* 6.) *lapis unus, una medicina, cui nihil extranei additur, nec minuitur, nisi quod superflua removentur. nihil addatis ei* (idem ibidem) *quia diversæ naturæ lapidem nostrum non emendant; nec intrat in eo, quod non sit ortum ab eo; unde Democritus natura naturam emendat, vincit, perficit, natura naturâ lætatur.* & in *flore florum: materia omnium metallorum est Mercurius; is autem Sophorum, non vulgi.*

Sendivogius: natura est una, & simplex, lapis unus; & quod addimus illi, oritur ex illo.

Cum his graditur *Laurentius Ventura*, ubi in hæc verba: *prima materia metallorum est vapor humidus unctuosus, naturam Sulphuris, &* (*de lapide cap.* 1.) *argenti vivi in se continens, ex quo conficitur medicina.* idemque (*in eodem tract. de ratione conficiendi lapidis cap.* 6. *& seqq.*) fusè asserit, & pluribus fulcit auctoritatibus.

Hoc sequitur *Petrus Bonus Lombardus* his verbis: *ars cum* (*in præf.*) *imitetur naturam; utitur materiâ eadem, ac natura. cum igitur apud naturam materia sit una, & non multiplex, ergo etiam apud artem Alchemiæ.*

Ipsis comes jungitur *Christophorus Parisiensis* concors

cors ita : *una sola reperitur* (*lib.* 2. *cap.* 1.) *substantia pretiosa inter omnia mineralium , & vegetabilium individua , quæ habeat virtutem reducendi metalla in primam materiam* . & paulò infra : *huic argento vivo diversa nomina , licèt una tantùm sit res , imposita fuerunt* .

His assentitur Author instructionis *de arbore solari : pro certo* (*cap.* 2.) *habere debes omnem occulti magisterii Sapientum laborem , & industriam in nulla re alia consistere , quàm in illorum terra virginea fertili succulenta* . & ibid. *cap.* 4. *Sophi imitentur naturam , quæ nil peregrinum in opere suo admittit* .

Concurrit in idem *Joannes Grassæus* , alias *Chortalassæus* multos citans Authores pro unitate subjecti . ejus hæc verba sunt : *opus album æquè ac rubeum ex una re perficitur ; est enim* (*in Arca arcani*) *tantùm unus lapis , & una operatio* . & infra : *Si quid peregrinum ei additur , tunc in fine operis illud , quod intendebas , non fit* .

Ortbelius unum paritèr expetit : *hunc lapidem absconditum , hanc unam rem purifica* . (*in Epil. in Sendiv.*)

Iterum *Arnaldus* pro eadem unitate subjecti : *Totum magisterium* (*in Speculo Alchemiæ*) *in una sola re consistit* .

Et in tract. *de Philosophico Adrop. Hæ res non sunt nisi res una , & eadem , cui plura nomina &c.*

Idem ingerit *Joannes de Rupescissa : materia lapidis* (*in lib. lucis , cap.* 2.) *est una , & eadem res vilis pretii* .

Quod

Quod pariter insinuat *Lambspringk : nil plus est quàm Unum , in quo omnia latent .*

Quibus consonat *cymbalum aureum* , ubi sic : *artis nostræ una tantùm extat res* . & *Aurora consurgens Cap.* 7. *est Unum , in quo sunt tria , aqua , aer , & ignis .*

Idem exigunt *Rosarius minor* , *David Lagneus in præf. ad Harm. Chemicam* , *Tractatus incerti de minera philosophica* , *tract. alter de inventione veritatis* . præscribunt paritèr idem *Tritbemius* , *Dionysius Zacharius* , *Nicolaus Flammellus* , *Merculinus* , *Augurellus* , *Michael Sendivogius* , *Michael Mayerus* , liber inscriptus *Lilium de spinis evulsum* ; & ut me colligam , idem sentiunt Authores omnes, qui egere de *Lapide* , unde *Albertus Magnus* , ubi scripsit *de Concordantia Philosophorum* cum toto *capite primo* stetisset pro unitate subjecti addidit *capite tertio : Omnes Philosophi clamant : res una , vas unum , præparatio una . Omnes : est in Mercurio quidquid quærunt Sapientes .*

Omnes, qui Philosophi sunt *unam* tantummodo sumunt , & præscribunt *rem* : ubi de *lapide* clamant ita : numquid omnes mendaces ? immo Veritatis dixerim Assertores . qui clamant alitèr suntne tales ? miror sanè quòd cum id adeo plenè innotuerit , cum assertis omnium sancitum sit , tot attamen , non philosophantium , sed delirantium myriades tam stultè , quàm stolidè ignoto ipsis impunè dent manus operi , & confertissimæ inhærentes pluralitati rerum , quasi theriacam coagmentaturi , in tantis ipsarum cumulis sperent

unum diſtinguere, unumve attingere, quod inquirunt. horum profectò culpâ ars ubique carpitur, & irridetur, prorſus tamen iniquè, ut ſupra jam demonſtravi.

Ut autem innoteſcat quodnam ſit *Unum* illud, quod aſſumendum, inſpiciendum hic eſt ex qua ſit ipſum origine.

Metallicum, ſi danda Philoſophis fides eſt (ſin autem repellendi hi qui ſcripſere rationibus, & experientiâ ducti, quinam audiendi?) ipſum liquet redolere *principium*.

Id innuit *Aurora conſurgens*, ubi ſic: *ſi quæris* (*cap.* 3.) *medicinam metalla curantem, de metallis erit ejus origo, cum ſpecies à ſuo genere tingatur.*

Idem aſſerit *Joannes Graſſæus*, qui & *Chortolaſſæus*, qui in hæc verba: *præcipua res* (*in Arca arcani, ubi de arcano in genere*) *eſt benè conſideranda, ſubjectum ſcilicet, ſeu materia Philoſophis Chaos impurum dicta, quam natura ad formam quidem metallicam adduxit, ſed imperfectam reliquit*. id autèm ſingillatim aſſeruere etiam alii.

Annuit his *Nicolaus Flammellus*, ubi ait: *unicum in hoc Mundo metallum, in quo Mercurius noſter abundè reperitur.*

Iiſdem paritèr aſſentitur *Anonymus Gallus Author Arcani Hermeticæ Philoſophiæ operis*, cujus eſt anagramma – *Penes nos unda Tagi*, ubi in hæc verba: *quicumque* (*can.* 16. & 18.) *extra metallorum naturam imperfecta metalla perficiendi, & multiplicandi artem quærit, in via erroris eſt, à metallis enim metalla, &c.*

Con-

Consonum his auditur *Cymbalum aureum*, cujus Author aureus & ipse; idemque penitus *Sendivogius* sensit *cap.* 1. *& tract.* 9. *&* 11. ubi hæc: *Si metallicam naturam vis exaltare; recipe metallicam naturam*. idque repetit pluries.

Idem hoc roborant *Philaleta (in introitu aperto ad occlusum Regis Palatium cap.* 9.) *Lullius (in Codicillo) Clangor Buccinæ*, *Geber*; qui *subjectum Sophorum viscosam* dixit *metallorum humiditatem*. glomerantur his *Avicenna*, *Lucerna Salis Philosophorum*, *Basilius Valentinus*, qui ait *quærendum lapidem Philosophorum in substantia metallica*. idem astruunt *Democritus*, *Nicolaus Flammellus*, *Rosar. Philosophorum*, *Georgius Riplæus*; & plures alii *à Joanne Grassæo in Arca arcani* indicati.

Ad dignoscendum lapidis Philosophorum subjectum num satis hæc? minimè; adhuc enim latet sub pluribus indiscretum metallorum nominibus; ut quantum licèt eruatur ab umbris, cui ex metallis vel metallicis rebus magis proximet, vestigandum, in ea namque, cui cuncta congruent, sistendum erit.

Plumbum plures efferunt, quin ferè omnes, eo quòd sæpissimè sub Saturni nomine in ipsorum libris exprimatur, cum præcipuis istius planetæ influxibus plumbum habeatur assertum.

Hinc *Socrates in Turba: absque Plumbo nulla fit tinctura, eo quod in eo consistat virtus operis*. & *ex eadem Turba Borates: sumite plumbum, &c.*

Retulit idem *Democritus* ibi: *plumbum nostrum coque quousque rubeum fiat*.

Et *Author Arcæ Arcani*, ubi *de Philosophorum consensu*, quadraginta septem congessit Philosophorum sententias, quæ in idem coincidunt, & concurrunt *plumbum Saturni prolem*.

Extant insuper de eodem tractatus integri *Merculini*, *Augurelli*, *Mayeri*, *Anonymi de Philosophorum Adrop*, nempe (ex *Alberto*, ubi *de lapide cap.* 6.) pariter *plumbo*, aliorumque conspirantium in idem.

At nimis adhuc id latè dictum, cum *debeat ulteriùs dignosci*, ut ait Author *Lucernæ Salis Philosophorum (cap.* 2. prope finem) *multiplex proles Saturnia*, *scilicet Stibium triumphans*, *bismutum ad candelam liquescens*, *cobletum magis quam plumbum & ferrum nigricans*, *plumbum probator existens*, *plumbites pictoribus inserviens*, *zincbinum colorans*, *seque diversè instar Mercurii mirandum ostendens*, *metallago ab aura & calcinabilis*, *& vitriolescens*, ut ex iisdem Saturni filiis possit præstantior distingui, & seligi.

Inspectis singulis, facilè occurret oculis mentis primogenitus dignior, omnium divitiarum cumulis auctus, si in Priscorum, & Neotericorum etiam libros *de Lapide* totis viribus intendatur ingenium, patebit etenim, quàm præ cæteris *stibium* eminentiùs se attollat, & probè consideratum cunctis reliquis clarius emicet à Philosophis naturæ imitatoribus ad summum opus sapienter assumptum.

Quanti id fecerint omnes ex præcipuis liquet Professoribus Medices, qui ipsum *practicæ Physi-*

ces

ces Herculem nuncuparunt, nempe clarissima Medicinæ lumina *Paracelsus*, *Van-helmontius*, *Crollius*, *Basilius Valentinus*, *Beguinus*, *Etmullerus*, *Schroderus*, *Joannes Chartier*, aliique quamplurimi, ut in penè innumeris, qui doctissimos ipsos testantur, libris, præcipuas in eodem vires contra quoscumque morbos fœlicissimè experti. ex miris etiam, in quas ipsum assumitur, transmutationibus rerum præstantia ejusdem detegitur; & ex charactere pariter ipso omnium dignissimo ad idem significandum instituto à sapientissimis Viris universi totius imaginem exprimente deducitur; ad hoc eidem aptato ut perspicuum fieret omnia, quæ immenso in hoc Orbe tamquam in propria Sede disposita ab infinita Divini Opificis sapientia, ab eâdem hac indita, & complicata in stibio uno concludi, & in eodem tamquam in microcosmo, quidquid in maximo hoc, virtualitèr nitere, circumagi, disponi, & effici.

De hoc autem, eo quòd esset sanè magis, quàm cætera custodiendum, licèt sat quidem parcè scripserint Doctores Chemici, immo ægrè tulerint revelantes, unde contra *Basilium Valentinum*, qui prior, & benignior cunctis ejus detexit robur, & dignitatem, & celebravit palmas *in Curru*, & contra *Philaletam*, ut *in Ephem. Germ. (in append. anni noni, & decimi)* exarserunt invidi, ut ipsorum enervarent auctoritatem, nonnulla tamen in eorum etiam libris perspicua planè leguntur, ex quibus, ut positum fulciam assertum, hìc pauca congeram.

Democritus à Nicolao Flammello relatus, ubi egit de *plumbo*, addidit: *plumbum non simplicitèr intendas, ne aberres, sed quod est ex sciſſili*. tale eſt vero *Antimonium*. ſubditque *Laurentius Ventura (in tract. de ratione conficiendi lapidis cap. 11.) ſubjectum Philoſophorum dici plumbum, quia in manifeſto eſt argentum, in occulto aurum, & quia calcinatum fit rubeum, quæ cuncta competunt ſanè ſtibio*.

Lucerna ſalis Philoſophorum præallatis clarior (*cap. 2.*) ſic: *una enim mercurialis natura alteram non vult dimittere; tunc tandem ejuſmodi rubrum, vel album aurum, vel potius antimonium fixum, maturum, & perfectum, &c.*

Cumque ex omnium aſſertis requiratur ad lapidem ſpiritus mundi metallicus, hunc ex plurimorum ſententia in *Antimonio* occludi jam plenè innotuit; unde ingenioſiſſimus *Chriſtianus Adulphus Balduinus*, ubi (*in auro auræ cap. 3.*) de ſubjecto Hermetico egit, in *Antimonio* dictum ſpiritum latere affirmavit, & *Joannes Rodulphus Glauberus*, ubi de igne ſecreto Philoſophorum, *antimonium eſſe mundi ſpiritum dixit*, ex quo *Pontani*, *Artephiique* occultus ignis confici poſſit.

Huic equidem uni acceptam retulit *Nicolaus Flammellus* opulentiſſimam gazam, perenneſque opum fontes, dum ex aurificio ditiſſimus, aliquot extructis Eccleſiis, annuiſque redditibus cumulatis, in ſuo ſepulcro, quod, ex relatu *Roberti Vallenſis*, in Cœmeterio SS. Innocentium Pariſiis extat, characterem Chemicum antimonii, nempe ♁, & dracones geminos, aiatum

unum,

unum, absque alis alterum voluit expressos, dictum subjectum pro diverso operis gradu & volatile, & fixum exhibens.

Et *Joannes Grasseus*, seu *Chortalasseus*, de quo supra, in Chemicis clari meriti vir, cum demonstrasset ex diversorum sententiis quamplurimis in *Saturno*, sive in *plumbo*, quod idem, Philosophos convenisse, ubi in fine tractatus *arcæ arcani* in figura cabalistica metallorum erexit arborem, hanc ex *Saturni*, cujus characterem superposuit chemicum, influxu enatam, ex *Antimonio*, tanquam ex radice sua emersisse manifestissimè ostendit in ejus charactere, quem tamquam metallorum omnium posuit initium in inferiori dictæ figuræ Cabalisticæ parte. & de eodem *Antimonio*, tamquam sublunari metallorum principio *tam participare*, ut ait alter, *divites*, *quàm pauperes* patuit, tam pura videlicet, quàm impura metalla, ab eodem progenita, exortaque, & in discrimine ignis absumpta, unde fabulæ locus, quod Saturnus devoret filios suos, dictus ideo *omnia in omnibus*, & *lupus griseus à Basilio Valentino* (*in practica de lap. Sapientum*, *& in tract.* 12. *clavium*) *parcens tantummodo*, ut ait *Sendivogius* (*tract.* 9.) *humido radicali Solis*, *& Lunæ*.

Quid itaque mirum, quòd cum ipsum de metallis, de paupertate, de morbis ubertissimas retulisse palmas viderit *Valentinus*, victricem pompam, triumphalemque eidem currum instruxerit, attonito dum primus orbi, non sine liventi

invidorum pœnâ, ut in *Epistola quadam buccinatoria*, disjectis ipsum velamentorum umbris ostenderet?

In antimonio, tantus Vir ait (*in curru triumph. antim. mihi pag.* 40.) *semper eo plus invenitur, quo diligentiùs inquiritur, modo viâ rectâ, & debito ordine procedatur; nec unius hominis vita sufficit, ut omnia perdiscat ejus mysteria. est medicina præstantissima sive extrinsecus, sive intrinsecus adhibeatur, quod quamplurimos latet ob cæcitatem eorum, idque incredibile, stultum, & vanum judicant, quod illis propter imperitiam est ignoscendum, & danda ea venia, quam solius stupiditatis nomine merentur; &c.* & paulo post: *nullus hactenus ante me fuit, bodieque nullus invenitur, qui potentiam, virtutes, vires, operationem, & efficaciam tandem ita perdidicit, & omnem ejus energiam ita profundè penetravit, ut nihil amplius in eo lateat inveniendum, quod experientia non possit in lucem proferre, &c.* & in *appendice libri duodecim clavium*, post delineatum *in septima*, & post *duodecimam clavim* characterem chemicum *Antimonii*, & circumactum hujus spiritum demonstratum in *nona*, ut per pleiades pluviosas maximum in minimum, & minimum in maximum coincidat, addit prope finem, se de *nigro Saturno* locutum, tale autem *stibium* est, & vitrum, quod assumendum ad opus, circumferentiæ terræ assimilari, quæ iterata *Antimonii* icon est. dicitur verò à nonnullis vitrum, *eo quòd ut hoc, eliciatur substantia ejus (præallatus Anonymus Gallus Can.* 48.) *ex humido radicali pertina-*

tinacitèr cineribus inhærente per ignem Sophicum, *eam separando à cineribus ipsis*, eisdemque ipsam iterum restituendo.

Quæ firmiori vallat asserto *Michael Mayerus*, qui, *nullum est dubium*, ait, ubi de *Antimonio* (*Symbol. libr.* 8.) *quin Philosophorum hac in parte mens sit unanimis, & verissima, dummodo rectè percipiatur*: & cum de pluribus ibidem fodinis diligentissimè egisset, addidit *Antimonium esse Philosophorum eligendum*, quod in virtutibus est omni alio efficacius undecumque petatur. & paulò infra, innuens plurimos ipsum incongruè usurpasse, subdidit: *Antimonium est quod multas fatigavit opes, dum in vero inquirendo, & eligendo aberrarunt, & illegitimum pro legitimo coronâ regiâ dignati sunt, at gratiâ plumis leviore. verùm Philosophorum Antimonium in Mari profundo demersum delitescit. non est ergo rejiciendum ab arte, sed eligenda est clara substantia ejus, quæ vel tota volet, vel tota in fundo remaneat pro operis diversitate.*

Hìc equidem unicè (neque enim alibi, aut aliis in rebus dabitur inveniendus)

——————— *latet arbore opacâ*
Aureus & foliis, & lento vimine ramus,
Junoni infernæ dictus Sacer: hunc tegit omnis
Lucus, & obscuris claudunt convallibus umbræ,
Sed non ante datur telluris operta subire,
Auricomos quàm quis decerpserit arbore fœtus.
Hoc sibi pulchra suum ferri Proserpina munus
Instituit: primo avulso non deficit alter
Aureus, & simili frondescit virga metallo.

Ergo

Ergo altè vestiga oculis, & ritè repertum
Carpe manu, namque ipse volens, facilisque sequetur,
Si te fata vocant: aliter non viribus ullis
Vincere, nec duro poterit convellere ferro.
(*Æneid. lib.* 6.)

Clariora prætereo, coacervanda enim non sunt quæ sejuncta, & dissita excusationem merentur, cùm sic arcano ipsi custodiendo non possint facilè obesse, quod citra ipsius injuriam concessum est, hìc obiter addam uni competere stibio, quæ *de subjecto lapidis Philosophorum* sparsìm scripsere Authores, ut horum auctoritate à me jactum magis fundamentum firmetur, & solidetur assertum.

Sæpissimè de eodem subjecto legitur, quòd sit *res una* (neque enim invenitur huic similis altera), *simplex*, nulli siquidem admixta, vel admiscenda rei peregrinæ, *catholica*, quia rerum omnium à Deo instituta principium, *vegetabilis*, multiplicabilis enim, & se communicans cæteris; *mineralis*, quia metallica participans de metallis, inter quæ crescit fusilis; *animalis*, quia per sui, ut ajunt, subductionem, & restitutionem spiritus videtur emori, & reviviscere, quæ singula, quàm *stibio* conveniant Philosophorum, his, & horum asseclis compertum est, dicitur *sale, mercurio, & sulphure* imbuta, & competunt paritèr singula eidem, solutum namque, convertibile in quodlibet, Mercurium refert, non autem vulgi; in coagulo Sulphur detegit; & quia constans ex aqua, & igne, sal dicitur; unde sibi indita

habet

habet omnia, quibus ad summum opus indigent Sophi. appellatur *Saturnia* res eadem, quia præjndicatum subjectum extra nebulosum, summè clarum, purumve in intimo, suo perquam simile est astro: *filia* res eadem nuncupatur *Solis*, *&* *Lunæ*, habens *altricem terram*; *hermetica* autem *Luna*, quia hæc præses aquarum in ipsa re soluta, nempè in aquam versa consideratur, in eâdem verò coagulata Sol; & quia soluta in coagulatam, quæ ejus terra dicitur, redit perstringenda, & perstricta in se quiescit, ab eadem dicitur enutriri. *res* asseritur *vilis*, exigui nam pretii: *ponderosa*, quia talis, præcipuè completo opere; obserata, reseranda enim est ut solvatur, *aperiendo*, ut ait *Sendivogius*, *poros ejus* — *vix cognita*, nam paucissimis tantùm nota: *aqua non madefaciens*, quia proprio suo Sulphure constipata; *lapis*, quia teritur; *non lapis*, quia funditur; *Æthites*, quia lapis in visceribus lapidis; *draco alatus*, res etenim venenosa, & fugax dum soluta; absque alis dum fixa, coagulata, & in terram versa: dicta ex voracitate *lupus*; *aquila*, *vultur*; ex robore *leo*; *pantaura* ex multiplicitate virtutum, cum gemma hæc cæterarum omnium, *Marsilio Ficino* attestante, virtutes colligat; *pyrites* ex intensa rubedine in fine operis, & qualitate ignea; *magnes* ex attractione sui, scilicet propriæ aquæ; *Cygnus*, *&* *Columba*, dum alba; *Serpens devorans caudam suam* vi ignis Sophici circumvoluta; *acetum acetrimum* ex summa acredine, & vi aquæ ejus; *cinis*, *leo viridis*, *crocus*,

san-

ſanguis, *Cauda pavonis*, *& iris* ex coloribus in curſu operis, in quo etiam verſicolor fit; *Sal communis*, non quia ad uſum menſæ communem, ut rudes aliqui ſcripſere, ſed quia in omnibus; *vitriolum*, non quod propriè eſt apud Latinos chalcanthum dicta à Philoſophis res eadem eſt, ſed vitriolum dicta, quia frangitur. *lac* item dicitur *Virginis* ex fumo albo, qui ante rubedinem aſcendens, vitrum lactis inſtar dealbat. *Fimus* denominatur ex ſale, calore, & humido, quo referta; *aqua vitæ*, quia quodammodo vivificat, res roborando, quas reparat. *Adrop* aſſeritur, *plumbum* ſcilicet, vel *Saturnus* ex peculiari ſideris hujus influxu. ex pretioſitate dicitur *aurum*. *Corpus*, quia tangitur. *Cœleſtis* cognominatur, *Spiritus* ex ſublimitate originis, & tenuitate ſumma, qua omne ſolidum (*ex Smaragdo Hermetico*) penetrat. *Terra*, quia coli & ſeri poteſt, ad omnia fertilis. *Cœlum*, quia res eadem planetarum virtutibus exaltata. reperta vegetabilis, dicta eſt *arbor*, *herba*. Feminam, at innuptam referens, *mulier*, *regina*, *puella*, *virgo* denominatur. & quia eadem coagulata mox agit, *androgyna* dicta eſt, *frater*, *vir*, *rex*. *puella lactans* vocatur, quia cuncta in ſublunaribus nutrit. *piſcis*, quia ſuis innatans aquis. *Semen*, *origo*, nam radix omnium. *baſiliſcus*, *arſenicum*, *vipera*, *ſerpens*, *draco*, *bufo*, quia ſummo veneno infecta, etſi poſt præparationem abſque mixtione ulla alterius rei, & poſt congruam, ingenioſamque coctionem, ut ait *Sendivogius*, aliique, ſumma ſit medicina. *Theriaca*,

anti-

antidotus, quia medicamen egregiè validum. *roſa alba* inſcribitur, *crocea*, *rubea*, *ſanguis*, *vitellus ovi*, *crocus*, *cinnabaris*, *minium* ex coloribus in curſu operis ſucceſſivè apparentibus. reviviſcat ex cineribus, & *phœnix* eſt. *Magneſia*, dum in geminas dirempta partes; hæ ſe invicem appetunt. *Salamandra* reputatur, vivens integra in igne. *tutia*, *marchaſita*, *Chalybs*, à ſimili. nigreſcat putris, & *pix*, *carbo*, *corvus*, *nox*, *ebur uſtum*, *cadaver*, *æs* dicitur. albeſcat, & *margarita* vocatur, *nix*, *grando*. *terra virgo adamica* nuncupatur, eo quòd (*Anon. Gall. can.* 74.) ipſi inſpiraverit quodammodo Deus ſpiraculum vitæ, omnes eidem indens virtutes elementorum. *hydromel*, quia ex aqua in fine operis vertenda in terram tenuiſſimam, dulciſſimam guſtui. *Microcoſmus* res eadem aſſeritur, quia quæcumque in mundo ſunt ſublunari, immo & in ſtellarum Orbe in ſe complicata virtualitèr habet; & doctiſſimè à *Baſilio Valentino omnia in omnibus* iterato ſæpe calamo inſcribitur, eo quòd hac una re convertibili in quodlibet conſtare cuncta aſſerantur. alia prætereo quamplurima, impoſſibile enim eſſet omnia colligere, & eidem uni aptare rei, *cum revera* (ex *Libavio* mihi *pag.* 65.) *qui omnia ænigmata excutere voluerit, artem potius perdet, quàm acquiret; impoſſibile eſt enim omnium allegorias explicare certò, cum modo huc, modo illuc, ne eſſent omnibus obvii, reſpexerint Authores.*

Allata autem cuncta ita uni congruunt ſtibio, ut

ut minimè possint alteri aptari; & licet eruditissimus *Christianus Adulphus Balduinus* quinque ab hinc lustris, ingeniosissimè alioqui, quæ *stibii philosophici* sunt *nitro*, & nonnulli *Mercurio vulgi*, & *animæ*, ut ajunt, *auri* tribuerint, etsi fœliciter (ut paucis obiter perpendam singula) etsi fœliciter, inquam, quædam, non tamen omnia potuere eisdem tamquam propria largiri, ut *Andreas Gnoeffelius* (*Ephem. Germ. in append. ad annum quintum in responso ad positiones de spiritu mundi pag. mihi* 303.) egregiè advertit; non enim (ut nitrum primò propulsem) salis universalis ipsi est adaptabile nomen, cum excrementum salis terræ dicatur à *Paracelso* (*lib.* 2. *Chir. mag. tract.* 2. *c.* 6.) nec potest *arsenicum*, *vipera*, vel *draco* dici, *sanguis*, *minium*, *cinnabaris* nominari, vel *Saturni* trabeâ convestiri *stibio Sophorum* frequentissimè asserta; vel *auri*, *solis*, *lunæ*, *cœli*, *aut microcosmi* titulo decorari. & multò minus eadem *Mercurio* congruunt *vulgi*, à quo & quæ à *nitro*, & nonnulla alia sunt remotissima; quin plures dicti Mercurii qualitates, quæ summè distant ab altero, qui proprius Sophorum est, ab Hermetico ipsum repellunt opere; *Mercurius etenim vulgi* (quantum differat alter ab altero pateat ex *Sendivogio in tract. de Sulphure*, *ubi de tribus rerum omnium principiis*) *non solvit aurum*, *nec argentum*, *ut ab illis non separetur: argentum verò vivum nostrum solvit aurum & argentum*, *& nunquam separatur ab illis sicut aqua mixta aquæ. Mercurius vulgi habet Sulphur combustibile malum*, *quo denigratur*:

no-

nostrum argentum vivum habet in se Sulphur incombustibile fixum, bonum, albissimum, & rubeum. Mercurius vulgi est frigidus, & humidus: Mercurius noster est calidus, & humidus. Mercurius vulgi corpora denigrat, & inficit: argentum vivum nostrum corpora dealbat usque ad crystallinam serenitatem. Mercurius vulgi vertitur per præcipitationem in pulverem citrinum, sulphur malum: argentum vivum nostrum mediante calore vertitur in Sulphur candidissimum, bonum, fixum, & fluxibile. Mercurius vulgi quo magis decoquitur, eo magis est fluxibilis: argentum vivum nostrum quo magis decoquitur, eo magis inspissatur.

Nec suppetet unde *animæ*, ut ajunt, *auri* præallata possint nomina coaptari, cum sat equidem evidens sit, quàm sint dissona ex ipsis plurima, cum signantèr *Sol, & Luna Sophorum (Sendiv. in Epil.) obducta sit sphœrâ Saturni*; unde opus est, non auri vulgaris animam, sed *rem quærere aliquam, quæ (idem Sendiv. in præfat. in Ænigma philos.) occulta est, ex qua fit miro modo talis humiditas, quæ aurum sine violentia, seu strepitu solvit; immo ita suavitèr, & naturalitèr sicuti glacies aquæ calidæ beneficio liquescit. Si hanc invenistis, habetis rem* (exquirentes auri animam perpendant hæc) *ex qua aurum à natura productum est, immo omnia metalla, & res omnes ex illa ortum habent.* hinc pateat asserentes Opus Hermeticum vulgi auro confici, vel fallere velle, vel falli. Nec *tutia, Chalybs, marchasita, plumbum, buso, lupus, vipera, vultur, acetum acerrimum,*

vitrio-

vitriolum, *arsenicum de auro vulgi* invenientur unquam enunciata . quòd si præfata auri anima, ut exigentes ipsi fatentur , potest obtineri tantummodo per dissolutionem ipsius auri in primam materiam , cur destruendum illud, cum sine eodem detur hæc auro, quod nonnisi per primam materiam (ex quo patet dari extra etiam illud) in primam potest materiam hermeticè solvi ? frustra exquiritur itaque tinctura, quam dicunt animam, auri, nunquam separabilis ab eodem, quod cum perfectius cæteris sit ex inseparabili unione tingentis Sulphuris, & Mercurii, diremptionem sui nulli permittit arti ; quæ si aliquid vel per ignis , vel aquarum acrium violentiam auro diriperet , hoc nullius pretii remaneret , quia invalidum factum , immo destructum, & extractio substantiæ ejus prorsus inutilis nil imperfectis esset impertitura metallis, vel enim esset supra , vel infra naturæ vires , & pondus , quod nulli humano ingenio , sed Deo , & soli est notum naturæ . Frustra igitur præsumet ars auro perfectionem talem addere, ut possit impura emendare metalla , & in pretiosa & pura eadem vertere , cum non queat aurum ultra perfici , vel exaltari eo quòd summum jam suæ puritatis & perfectionis gradum naturæ ope conscenderit . quis ex pane fermentum quæret ex prima ejus massa conficiendum? nemo ultra progredi posse confidat , qui illud Unum non invenerit, per quod (ex *Sendivogio*, aliisque repeto) aurum à natura factum est ; quod planè voluit

Augu-

Augurellus innuere, ubi scripsit (*Chrysop. lib.* 1.) quòd

——————— *in auro*

Semina sint auri,

de auro Sophorum citra omne dubium, prout alii omnes, intelligendus, ut patebit, si benè, & maturè perpendatur integer tractatus ejus, in quo exigit & ipse rem simplicem, catholicam, pluries iteratâ ablutione (*Anon. Gallus Can.* 50., *Rogerius Baco*, *Arnaldus*) purgandam, ut ab ætherogeneis sejuncta, & à suis sit compedibus libera; quæ glebarum instar cultarum, cujuscumque induat ingenium rei, pro lubitu specificabilis, quæ ceu semen (*Anonym. Gall. can.* 41.) in quantitate minima immisceatur sapienter ipsi, adaptatione, ut in suo *Smaragdo* ait *Hermes*. & de auro Sophorum, non vulgi asseruisse quæ supra demonstravit apertè idem *Augurellus*, ubi (*sub initium lib.* 2. *Chrysop.*) de seligendo subjecto ait.

In primis niveo sparsus candore lapillus
Quæritur, aut longo contritus tempore pulvis
E niveo in liquidum versus candore ruborem, &c.

E quibus, aliisve, quæ subdidit, constat eum, qui videbatur pro adversariis stare, ipsos fundere.

Tam clara est igitur medicinæ veræ præstantia ab Hermeticis desumenda doctrinis, in metallico regno, metallicâque naturâ sub Saturni influxu, & signanter in stibio (si fides Philosophis danda est; danda autem utique ubi nonnisi temerè denegaretur) totis ingenii viribus ad ma-

 jorem

jorem Dei, & Deiparæ Virginis gloriam vestiganda, & ab addictis Deo Viris præcipuo exercenda charitatis officio.

O summum Cœli terrestris astrum vel involutum nebulis nitidissimum, sublunaribus cunctis fœlicissimè affulgens! o invisibilis ignis vitale lumen cuncta irradians! o totius fortitudinis robur omnia vincens! tu cuncta constituens, permeans, & servans corpora & pascis, & vegetas; validissimis siquidem nexibus alligatas, adamantinisque munitas præsidiis, lorycatasque, virtutes omnes concretas quodammodo in terris in forma, & re penè sensibili claudis inditas, quas in forma Cœlesti parens suprema Cœli lampas, immo Stellæ omnes, & quæcumque Cœlis insunt lumina influunt in terras ipsas, donis tuis refertas, tuisque thesauris, & viribus insignitas, & ad quodlibet concipiendum, efformandum, perficiendumve donante Deo uberrimè saturatas, & tutissimè instructas.

Agyrtarum interim gannientium auditores, & asseclæ pluralitati rerum contra omnium Philosophorum sensum intenti, nunc in capillis, ovis, sanguine, nunc in cinnabari, fuligine, plumbo, antimonio, auro, argento, fimo, Mercurio nitroque suo, milleque aliis in rebus optatum lapidem quærant, eludendam spem commentis suis inanitèr depascentes,

Atque immensa cavi spirent mendacia folles;
semotus ab ipsis concessa mihi luce à Patre luminum naturæ præeuntis relecturus vestigia, legiti-
mis

mis Hermeticæ Philosophiæ doctrinis, non decepturis schedulis hærens, noxium, fallax, invidum, detestabile, ignorantiæ involutum tenebris, in brutalibus tantùm versatum, eruditum, si dici liceat, in fraudibus, superbiens unicè vitiis suis, tam stultè cervicosum, quàm mentis inops, & cæcum, quàm inaniter elevatum, tam aspernandum illegitimorum Sapientum

Odi profanum vulgus, & arceo. (*Hor. l.* 3. *Ode* 1.)

Quisquis in posterum de eodem arcano Hermetico tractatus alios daturus est, fœliciori ingenio, non faciliori, clariori, nempe, & liberiori calamo utatur, ne iniquis ipsum legum violatoribus detegens, à justissima Dei omnipotentis ira puniatur tamquam inde emersuri omnis criminis reus. Quod ut caverem, de nonnullis, & essentialibus quidem, censui silendum, utputa de re specialiter seligenda, de vero videlicet Stibio Sophorum, quod nunquam passum sit ignis violentiam, & de præparatione Sophica ejusdem; de aqua alba, de liquore manum non madefaciente, de occidendo, & vivificando enecato Mercurio, de diremptione, & conjunctione partium, de Sophici ignis regimine, de sæpè iterandis destillationibus ad mentem Rogerii Baconis, Arnaldi, Lullii, aliorumque, de Furno, vase, vitro, sigillo, Hermeticis utique, de specificatione medicinæ universalis, projectione, usu, & multiplicatione, ante specificationem,

ejuſdem (etſi & hæc haud prorſus præterierim in annexa poeſi, immo plura expreſſerim in eadem, tantummodo tamen perſpicua Hermeticæ doctrinæ filiis, ut ipſos inter admittar) quæ ſingula ictu potius mentis cognoſcere, quàm longa meditatione animi veſtigare quis poterit, eo quòd eadem Philoſophi, & ænigmaticè quidem vix tantùm libaverint in libris ſuis, & indiſſolubilibus tricis, Deo ſic exigente, ſapientèr involverint, cum tantum Arcanum debuerit patere piis, doctiſque paucis Viris ob animi integritatem ab infinita Dei Sapientia, & Miſericordia tanto bono dignandis, immeritis omni ſtudio conſtantiſſimè denegandum, ne abutantur eodem.

SEPUL-

SEPULCRI HERMETIS RESERATI LIBER PRIMUS.

Hermetis Tumulus: cupidi procul ite profani:
Respuit innocuus noxia corda cinis.
Exuviis positis prorsus ne abiisse putetur
Spiritus, at sueta in dona quod adstet adhuc,
Mira Monas Monadem mirè ut generarit, utrisque
Ut mirè ingeniti fulserit Ignis Amor,
Virginei & Partus cum mens prospexerit omen,
Victurumque hominum per nova sæcla genus,
Dante ipsâ effigies horum, simul Orbis & icon
(Esset ubi quoddam conticuisse scelus)
Ut famæ, laudique suæ mansura superstes
Excusso hæc melior funere surgat humus,
Nota vel ex radio & sacri sint robora Solis,
Quod summum terris hìc reseratur Opus.
Grandia quæ cerno? quo celsæ carmine molis
Desuper inscripti promicuere aditus?
Dignam rege domum, quin plenum numine templum
Aptius insculptus præmonuisset apex.
Hermetis tumulus? num lascivire struentes
Quivere hunc lacrymæ, luxuriare dolor?
Fulgentes umbræ, tenebris mens unde solutà
Aspicit insuetos irradiata lares,
Quæve coloratis facunda silentia noctis
Somnia, perspicuo lucidiora die,
Per vos, quæ rerum series sese obtulit? auro
Distinctæ, & gemmis quæ patuere notæ?
Lugubris ut structura micet, quæ pompa beatos
Efficit hìc luctus? funus ut omne nitet!
Verane pandistis? simulata luce renidens
An fallax oculos ludit imago meos?

Vera equidem molis fulgor testatur, & ordo:
Non potis est torpens fingere tanta sopor.
Ecquis in ignotas me vexit Spiritus oras?
Quæve sub augustam me tulit aura domum?
Musa Poli, terræque jubar, cui verus Apollo
Insidet in gremio, nec temerata foves,
Incolumi sed flore tuum fers integra fructum,
Fœcundante sinum Numine Virgo Parens,
Cui lauro haud Helicon crinem, sed sidera cingunt,
Et Lunam pedibus Sole corusca premis,
Talia cernenti (e superis namque ista revelas,
Nec potis est animus nectere tanta rudis)
Da ingenio pennas, rutilumve subire theatrum,
Et memori emeritis promere cuncta sono.
Delubri in speciem clari ut nitet inclyta moles
Desuper auratis concamerata tholis!
Hanc circum solido surgunt adamante columnæ,
Atque bases pariter fulctæ adamante nitent.
Ast intermixtis rutilant Epistylia palmis,
Pensilis omne tenet fulva corona latus.
Non sic Sipariis reserat se scæna reductis,
Fertque voluta suis grandia quæque rotis,
Qualia forte mihi nunc improvisa coruscant
Limina, mox studiis conspicienda meis.
Peltato exterior paries munimine terret,
Allicit interior territa corda sinus.
Arcubus innixa ut flexu sinuosa recurvo
Sunt spatia insertis effigiata Choris!
Musivo oblectat redimitus stemmate fornix,
Et segmentato marmore strata micant.
Cernitur assiduus muros ambire character,
Mystica & implexis stant anaglypta notis.
Inclyta quis jactet jam Ephesinæ templa Dianæ?
Quis Capitolini gemmea tecta Jovis?
Materiem superante manu qua hic arte ministra
Cœlatæ ostentant Symbola clara fores!
His auro insculpta objicitur Salamandra per ignes
Visa frui, & victos spernere læta rogos.

Visa

Visa metallorum septenis arbor ab astris
  Septenum pariter corripuisse jubar.
Funere discusso Phœnix, propriisque superstes
  Casibus, emensos hìc reparare dies.
Ignis & unda simul recubare, & fœderis arcti
  Ostentare novum Mulciber, arsque decus.
Visitur hìc Maia & genitus, geminosque colubros
  Pacatrix almo linea mulcet hero.
Cholchidis è satis quin dentibus horrida messis
  Surgit, & immitis currit ad arma seges.
Ingenii miranda novi ast emblemata cæcis
  Me tenebris arcent, mensque subacta fugit.
Intima si rimor penetralia, & aurea primo
  Obtutu scrutor tegmina, & alta domus,
Protinus en stupor: in tessellata revolvo
  Atria si lumen, lumen en adstat hebes.
Vestibula ast oculis intus quæ mira revelant?
  Quis templi è medio funditur Orbe nitor?
Depræhensum facies remoratur, at extima pectus,
  Et prothyri tentum margine sistit adhuc?
Ingrediar lætus conceptæ & compita spei
  Tuta premens, animi præscia vota sequar.
Ille ergo hìc jacet ætherei qui è limine regni
  Contulit afflicto cœlica dona solo?
Qui astorum, terræque faces cum noverit omnes,
  Admixtis vires traxit utrisque novas?
Qui summum Sophiæ culmen, qui maximus Orbis
  Scrutator, parvo condidit alta vitro?
Delubrum fœlix, fœlicia tecta, reposta
  Queis ossa, & tanti sunt monumenta viri
Surgentis tumuli ut regalis pompa renidet,
  Sustinet & claræ pondera molis Honor!
Ut secum rutilans concurrit Gloria! dignum
  Ut stipata tubis fama recludit onus!
Regis ut exuvias famulantibus alta figuris
  Multiplices inter continet urna faces!
Ostentant magnum pia balsama, thura, Thyaraque,
  Ostendit summum splendida vestis herum.

Perpetuæ ut vigilant constanti lumine flammæ!
  Intactum ut vultum visa fovere quies!
Horruit eximium mors an violare Dynastam,
  Aut puros timuit contemerare sinus?
Assererem vigilem ni lumina clausa vetarent,
  Solvere verba, gravis sed premit ipsa sopor.
Frons rugosa licèt, nitet index clara sereni
  Pectoris, utve dedit grandia, spondet adhuc.
Non riguere manus, castum at cor læva tuetur,
  Ditatur rutilo dextera clara vitro.
Vivere visa sua durant compagine membra:
  Virtuti tempus parcere, morsque solet.
Ponè triumphatum spolium, positumve trophæum
  Victori, ambiguum continet Urna virum.
Non lapis, illa, lapis; qui vir mox ipse puellus;
  Nunc Mulier qui Mas; ipsa modò Androgyna.
Quin puer haud puerum, neque compta puella puellam
  Ore refert, at anus fit modò, moxque senex.
Sævit uterque fero geminata in funera morsu,
  Victurus melior surgat ut inde cinis.
Sat sibi se hinc reparat genitor, genitrixque; latenti
  Igne fovet; proprium lac modò uterque trahit.
Omnia cum sint, in nihilum mox inde reverti;
  Cum nihil hi fuerint, cuncta referre putem.
Ros visi, hinc draco, nunc aquila, hæc olor, isteque phœnix;
  Hæc tumulata tamen non tumulata manent.
Nam nec aquis, nec humo, nec solo condita cœlo,
  Ast offusa levi tegmine ubique jacent.
Extra hinc nec posita, hoc occlusa nec ossa sepulcro,
  Namque unum efficiunt ossaque, & Urna simul.
Cur tamen obtutus is detinet error amicos,
  Dum licet hos chari fronte beare patris?
Salve magne Senex, rector, columenque piorum,
  O mihi nunc primum reddite qualis ades!
Qui mora fatorum, qui mortis & ausibus olim
  Terror eras, fausti & sideris ipse redux,
Orphana ut ere.orum hìc te lugen regna parentem!
  Ingemit occiduum littus ut omne jubar!

Exani-

Exanimis licèt at clara servatus in urna,
  Gestorum melior lumine vivis adhuc.
Sis licèt extinctus, virtus tibi prorogat Ævum,
  Longo & sæclorum fœnore damna levat.
Hìc, ubi bacchantis strepitu non læderis Orbis,
  Virtutum titulis, officiisque fruens,
Purum da pectus colere, ingenuique coruscam
  Cor animi sedem, præsidiumve soli.
Oscula pallenti facilis da figere dextræ,
  Cui fera pauperies cessit, & atra lues.
Os, quod in ære tuli, sculpto quod cernere in auro
  Sæpe datum, aut pretio nobiliore nitens
Dum video fœlix, & noto lumina vultu
  Impleo, & in laudes urgeor inde tuas,
Quid de te recolens referam prius? abdita Cœli
  Nota tibi, aut imi viscera visa Soli?
Ore verecundo mores docuisse modestos,
  An servasse sacri lilia casta thori?
Sive reposcentis regeres dum fræna Canopi,
  Exoptasse tuam regna aliena manum?
Fluctibus en laudum rapior, semperque supersunt
  Plurima, plura licèt fuderit ante melos.
Non sub te sceptrum metuebat dives avarum,
  Ausa nec insontem fingere culpa reum;
Lurida virtutem non deturpabat egestas
  Nec fœdum ornabant præmia clara nefas;
Æmula cælato livor neque corda veneno
  Torquebat, fictus nec temerabat amor;
Cuncta sed innocuis fruebantur legibus, unde
  Libera sub vinclis pectora visa tuis.
Illæsus fulgebat honor, radiabat honestas,
  Tutaque tunc Phario pax erat alma throno.
Vos Memphis populos, flavæ semota Syenis
  Littora, vos Meroes arva perusta nigræ,
Vos quotquot Nilum bibitis, Gangemque nitentem
  Testor, arenosis Afraque Regna vadis,
Ultima & occidui, Borealis & abdita mundi
  Limina, vos tanti pandite digna Patris.

Dissi-

Diffita delituit ſub quonam ſidere virtus,
Quæ tibi devoto ſtemmate vota neget?
Quæ tibi non promat famulantibus æmula labris
Cantica, & eximium non fateatur herum?
Te nivei Elæo modulantur carmine Cygni,
Te Sophiæ reſonat Tybris arena ducem.
Te Armenus, te Medus, Arabs, te mixtus Iberis
Indicus, Eridani, Parthenopeſque Chorus
Inſimul admixto celebrant modulamine, & auras
Nomina multiplices nota referre docent.
Laudum vectigal totus tibi devovet Orbis,
Concordeſque regit diſſona lingua modos.
Quin tibi cum Sapiens omnis jam vixerit uni,
Ut licet, hìc uni gaudet adeſſe tibi.
Hinc tibi ſuſpenſæ pendent longo ordine ceræ,
Oblatæve frequens iconis adſtat honor.
Ut congentiles rutilant Chemniſque, Amaſiſque,
Pyramidum ſummos qui poſuere gradus,
Buſiriſque ſacras qui condidit Iſidis aras,
Siſoſtriſque tumens, Sethor, & Adfar ovans!
Dædalei Myrix emptor venis inde laboris,
Menaque Mercurii munere ſceptra gerens.
Græcia ponè ſuos inſculpſit ſedula alumnos,
Pythagoram Samium, Democritumve dedit.
Orpheum, Muſæum, Linum, cui clarus Apollo
Progenitor, Thraces, Hippocratemque Coum.
Pinxit Anaxagoram, Xamolſim vovit eburnum,
Ære Tyanæum cudit, & Heracletum.
Inſerit alta ſuum Morienum Roma, ſuperba
Regnantum genitrix, Italiæque nitor,
Ipſaque conſpicuum ſecum circumplicat agmen
Alme Pater titulis obſecutura tuis.
Petre Padi Turres Sophiæ quem forte dedere,
Augurelle tui qui & Rubiconis olor,
Fortunæ è fano hìc pariter clariſſimus addis
Merculine jubar, cui propè Lancinius.
Auget Arabs hinc ipſe decus, ditata corallis
Oraque, & effigies fert adamante ſuas.

Ut Geber, & Gilgil, Melchas, Avicennaque, Rhasis,
Atque Hamuel Senior, Dantius, Ilba, Dathis,
Alfarabis, Syroes, Haly, ziberque coruscant,
Nobilior calamo, quàm pharetrata cohors!
Hispana hinc acies sequitur, cui prominet altè
Lullius, hinc præfert Anglica Rogerium.
Dein Sendivogius præfulget Sarmata, Rheni
Albertus, Mayer, Basiliusve Sophi.
Ingeminant radios Theoprastus, Grever, Alanus,
Tritemiusve Sacer, Trevisiusve Comes.
Has inter passim cerás nec Gallica desunt
Nomina, & Arnaldum has cerno referre notas.
Flammellus rutilat Microcosmo clarus aperto,
Zacharii splendet, Ferneliique decor.
Adsunt & Davi scholæ, & septemplicis Istri,
Quæve Albim gelidum, quæve bibere Tygrim.
Omnis enim obstricta est tibi subdita Turba Sophorum,
Seque Patri hìc concors devovet ipsa suo.
Te siquidem cœlo mirata est judice tellus,
Omni quem novit munere sæpe frui.
Socratis ingenium stupido si profuit Orbi,
Eripuit Virtus huic simulata decus.
Florida vix domitæ concessit fręna juvente,
Si clarus docto constitit ore Plato.
Invida fulgentem fœdavit cura Stagyram,
Conceptumve jubar perdidit alta Coos.
Fortis Alexander, raptorque; ut Crese bearis
Thesauris, premeris, divitiisque peris.
Hunc amor, hunc pietas, hunc mentis candor honestat;
Omnia virtutum lumina nemo tulit.
Forte aderas unus qui quæ sparguntur in omnes
Attigeras, pleno gurgite cuncta trahens;
Unus namque aderas, cui non immixta veneno
Culparum Virtus forsan adesset amans.
Cunctorum hinc laudes cum viceris unus, opimo
Munere cunctorum præmia solus habens,
Ipse triumphalis lymphæ hinc pacator, & ignis,
Ipse es, qui exiguo margine cuncta dabas;

Qui

Qui geminis vitreo conclusis axibus Orbe,
  Contractæ rector lucis, & auctor eras;
Perstrictisque polis angusti limite vasis,
  Correpti flammas Solis, & astra, movens,
Arbitriis moderata tuis, licèt Orbe minuto
  Jusseris indictas sidera adire plagas,
Lunaque fertilium cui subdita præses aquarum
  Ad certos paritèr visa redire dies.
Ars per te rutilos potuit cohibere planetas,
  Fertile & elicito reddere rore solum.
Tabida corrigere, & curvam reparare senectam,
  Evehere ad purum spreta metalla jubar.
Cum tantus fueris, stupeat quis plausibus altis
  Quod tollatur adhuc nomen ubique tuum?
Efformanda fluant in mille quòd æra figuras
  Sudet ad effigies flamma quòd ipsa tuas?
Virtutis spolium quodve aurea massa triumphos
  Exprimat, & notum conscia gemma Fabrum?
Prælusere olim nascenti præscia vati
  Sidera, lætitiæ & signa dedere polis.
Phosphorus in roseis tunc exultasse quadrigis
  Dicitur, & lætum congeminasse jubar;
Et præcox aurora diem properasse coronis
  Ex tunc Sol clarum complicuisse caput.
Æmula tunc cœli tellus in flumina lactis
  Versa, tibi & blandos ultrò parasse sinus.
Quòd plausus natura tibi concesserit omnes
  Mirabor, plausu cui potiore fores?
Cuncta canit meliora Patrem qui hunc concinit unum;
  Qui magis hoc audet, concinit ipse nihil.
Ut rutilans præfulget adhuc, & dissipat umbras!
  Hæc nitet ut pleno nobilis aula die!
Perpetuumve micans, dum vulgo ereptus inani
  Creditur extinctus, ducit in ima jubar!
Occidit ætherei sic rector luminis axi
  Alteri inocciduas ut vehat inde faces;
Inscitiæ pulsis umbris, tenebrisque peremptis,
  Exemplar sequitur clarus & ille suum.

Obtu-

Obtutus, mentemque beans ut promicat altè
  Vatis ad auxilium, præsidiumve sui!
Totque oculis radios, quot fornice Symbola fulgent,
  Multiplicat, grato & munere cuncta replet!
Cernite cęlatum mea lumina cernite marmor,
  Exuperat vires ars ubi summa suas,
Atque coloratos musivis nexibus arcus
  Et pictos varia cernite luce tholos!
Ut mirè expressa hìc splendent emblemata! vitam
  Omnis ut effigies monstrat inesse suam!
Ars axem hìc simulat? facilis versatur ut axis!
  Fulgura? in exitium fulgura dira micant.
Palpitat unda, stupens si visus fertur in undam:
  Suspicit inde Chorum? Concinit ipse Chorus.
In claros distincta sinus testudo coruscat,
  Plurima & in spatiis fulget imago suis.
Hìc aquila evictum discerpit sæva leonem,
  Ponè eadem implumis victa leone jacet.
Unguibus, ac rostro hìc furit illa, fugitque; subactus
  Rex licèt, exanguis redditus, iste cadit.
Fortis ibi is rediens, laniantes dissipat ungues
  Alitis, & pennis exuit inde suis.
Lucta ferox! docti ut stimulant in bella colores
  Et rostrum, & rictum! terret ut ipse cruor!
Hesperidum custos nemorum, quæ conserit Atlas
  Poma vigil servans hìc pretiosa Draco,
Distentis spiris ut circumductus in Orbem
  Angustos aditus, fulvaque septa tenet,
Immensusque senex oneri subductus acerbo,
  Juppiter Herculeas quo gravat inde manus,
Irrigat ut violas, immortalesque amaranthos,
  Candida cognato qua fluit imbre silex!
Ponè coruscantes sitiens Latona gemellos
  Exhausto lactans ubere visa mori,
Faucibus auxilium dum puris quærit ab undis,
  Rustica virgineas turba profanat aquas;
Illaque condignis invisum devovet agmen
  Legibus, atque ausus deprimit æqua rudes.

In vi-

In viles sensim hinc ranas plebs versa coaxat,
  Insultantque novis ora aliena notis.
Non sua quisque stupens miratur membra, deamque
  Degener insana voce lacessit adhùc.
Hanc propè conspicitur (mira ò commenta sagacis
  Cœlo afflante animum discutienda viri!)
Hanc propè conspicitur thalamo plaudentibus astris
  Gabritii, & Beiæ connubialis amor,
Cui chorus obsequitur niveis libratus in alis,
  Apparat & castas, cœlica dona, dapes;
Et præfert animis jurato fœdere junctis
  Virgineas thædas, virgineasque stolas;
Innocuasve canens flammas, nexusque pudicos,
  Pars jungit lætis pronuba serta rosis,
Lilia pars violis miscet, calathisque refusis
  Munerat officiis corda revincta suis;
Pars epulis mensas onerat, pars vina ministrat,
  Pars choreis, vario pars favet æqua sono.
Nubere quàm fœlix, ubi permanet integra virtus,
  Fœcundo & recubat non temerata thoro!
Quæ nova nunc species animo at reserata stupenti
  Immutat refugos irrequieta sinus?
Difficilis captu, varia, indistinctaque visu
  In medio refluens fulget imago tholo;
Multiplici Cybele nunc visa est ubere, Gorgon
  Nuncve minax, blando hinc lumine facta Venus.
Fit vultur nunc ipsa rapax, lenisque columba,
  Nunc leo, nunc anguis, nunc ferus ore draco.
Mox leo, mox coluber, draco mox vanescit, & altum
  Fit nemus, hinc mare, mox nil nisi terra fluens.
Omnia mirandum hoc anceps mens dixerit unum,
  Unum multiplici quod tulit omne sinu.
Nosco dolos: Protheum hìc doctus modo detegit error,
  Unde frequens spectris ludit imago suis.
Non tamen implicitos datur æquè attingere sensus,
  Sublustri & tectum nube videre jubar.
At licèt impercepta, aliquid portendere magnum
  Fulgida imaginibus symbola visa suis;

Hæc

Hæc nec enim casus, vel inutilis otia vulgi
  Instruxere, rudes vel posuere manus,
Sed latitans cautis finxit Sapientia plumis,
  Curisque obduxit, quæ reticenda suis,
Ut licèt elingues vel sub velamine formæ
  Electo innuerent vix referanda Sopho.
Inter mira tamen niveum, pluviisque refertum
  Orbis in effigiem cerno nitere vitrum,
Magnificè in quinas quod fusa metalla figuras
  Extollunt, uni nomina scripta Salis,
Sulphuris ast alii; frontis versatilis astrum
  Maiæ grande decus tertia forma refert;
Distinctumve licèt, tamen uno ex stipite surgit
  Trinum hoc, alterno & fœdere cuncta regit.
Mulciber, & natura duo Simulacra sequuntur
  Mirandum paritèr visa fovere globum;
Exiguam qui condit humum, feriatus agellum,
  Quem Sol fortè colit, quive Sororis amor.
Septem adsunt supra stellæ, totidemque sub ipsum,
  Concordique coit lumine uterque Polus.
Surgentis mundi ut speciem, seriemque colorat!
  Ut confusa rudis fert elementa Chaos!
Hìc ubi lympha fluit, tellus jacet, ignis, & aer;
  Ignis ubi, atque aer, lymphaque, terra jacet;
Cuncta hæc in motum rector dein Spiritus urget,
  Mutuo ùt ad numerum dissona semper agant.
Dum simul immixta hæc fluitant, agitataque oberrant,
  Cuncta licèt videar cernere, cerno nihil.
Nam massam tristes condunt, implentque tenebræ,
  Nec nisi pondus iners, noctis & horror adest.
Lux tamen en fulget spatiis inopina sepultis,
  Imaque vitali munere claustra refert,
Disjicit ignitus victas ubi spiritus umbras,
  Et fœcundandis fertur opimus aquis.
Dividit hinc ipsas partìm super æthera tollens,
  Subve humili reliquas congregat inde solo.
It sursum leve, stant modò pondera pressa deorsum,
  Germinat apparens arida, terra viret.

Et

Et tandem gemini potiori luce planetæ
  Emergunt, vivis ignibus alter ovans,
Imperium exercens fœcundas alter in undas
  Cuncta ſimul duplici fulcta tenore gerunt.
Ut cuncta aſſiduo verſantur turbine ! ut explent
  Hìc modo contractas pondus, & ordo vices !
Mox bobus diſſecta ſuis fert ſemina tellus,
  Concipit & tumido pinguia dona ſinu.
Gramen & erumpit, gemmaſcunt ubere vites
  Palmite, & auratis ſurgit ariſta comis.
Quot modo tam tenui gignuntur germina vitro !
  Effigiem magni huic Orbis ineſſe putem.
Qua mare, qua tellus, rutilus qua cernitur axis,
  Sole repercuſſis qua nitet Iris aquis.
Qua venti, & nubes, Soleſque, imbreſque ſereni;
  Quis potis exiguo talia ferre globo ?
Sidera ſi juſſa quondam vertigine volvit
  Ille Siracuſii gloria prima Soli,
Vilia nunc vitreæ ſileat miracula ſphœræ,
  Claraque diſpoſitos ſigna remenſa dies;
Fictaque mentitæ jactet neque lumina Lunæ;
  Huic uni Siculum ſubditur impar opus.
Unica pro duplici ut pollet modo cardine virtus,
  Immutantque novo robore cuncta jubar!
Semina quis jecit? certis quis putrida reddit
  Motibus? in partus quove tenore meant?
Se hìc perimunt, reſerant, gignunt, ſe frutice complent,
  Hinc ſenſim elanguent, ſe reparantque ſimul.
Sol modò nube carens, modò nubilus auſter in imbrem
  Solvitur, inde tepor, temperieſque redit.
Ut perſtricta brevi quidquid natura per annos
  Efficit, hìc melius complicat una dies !
At nova quæ rerum facies reſeratur? eadem
  Ut ſtupidus formas pyxide cerno novas?
Illicò præcluſum vitreus coit Orbis in hortum,
  Virgineo æthereus quem rigat imbre ſenex,
Cui dives fulget nebuloſo ſidere vertex,
  Elata radiat falxque recurva manu.

Si cœlo

Si cœlo is niteat, cunctorum altissimus errat;
  Omnia, si terras incolit, ipse regit.
Aurea prima dedit qui terris sæcula præses,
  Nunc eadem reparat, summaque, & ima gerens.
Ut tellus inarata parit! fert sponte colores
  Ut florum varios, aurea & arva nitent!
Candida post pullas violas ut lilia surgunt!
  Purpurea in lætis ut rosa fulget agris!
Delicias custos at circumplexus opimas
  Spirarum vigili colligit orbe draco,
Forte venenatis qui mox se librat in alis,
  Amisso alarum remige moxque cadit,
Et jacet exanguis terris immane cadaver,
  Quod putre fert aquilis membra voranda feris.
E silice illimis medio nitidissimus horto
  Fons scatet; it sursum, seque resorbet aqua;
Humenti & suadente noto transmissa per auras,
  Viribus uberior, nobiliorque redit.
Sic modò cœlestis, terris modò rorifer imis,
  Et se subducit, restituitque latex.
Nant gemini pisces, argenteus unus, & alter
  Aureus, & squamis emicat unda vagis.
In lympham contrita Silex, vicibusque relatis
  Vertitur in Silicem reddita lympha suam,
Quæ nigricans prius, in niveum mox candida tophum
  Tingitur, hinc croceum, purpureumve parat;
Unde gravis ditatur humus meliore metallo,
  Quod fovet alterno Lunaque, Solque gradu.
Quin etiam in lætas telluris viscera fruges
  Urget, & in partus evocat omne suos.
Quid correpta refert breviato hæc scæna theatro?
  Quid moles oculis innuit arcta meis?
Mulciber, & natura (datis in fœdera palmis
  Nam simul hunc regitis, perficitisque globum,
Cui subsunt, triplex ex uno stipite germen,
  Sal, fixum Sulphur, Mercuriusve fugax)
Dicite quid varia condat sub imagine, mirus
  Fons unde, unde ignis, mirus & unde decor.

In primam tenebras potuit quid vertere lucem?
  Auroræ hìc croceas quis dedit ordo faces?
Sol unde emerſus? medio unde it fulgidus axe,
  Et lætam certo perficit orbe diem?
Æſtivum quid nube jubar tenuavit amica,
  Et puro nimios leniit imbre rogos?
Dic Vulcane, calor quo præſide fertur in altum,
  Terrarumve ferax excitat ima tepor,
Dic quid tam parvum ignoto conamine vitrum
  Urgeat, incluſus qua meet arte nitor;
Naturæ ſiquidem fueris cum ſæpe miniſter,
  Te ſine quin eadem cum nihil Orbe gerat,
Hanc regis enixam, lentæque afflamine flammæ
  Quiquid amans terris educat ipſa, foves.
Pomiferas igitur ſeu condat ſedula plantas,
  Frugiferos paſsìm ſive revelet agros,
Sive quid immotum gignat, quidquidve movetur,
  Surgat ut omne, favens, utve adoleſcat, ades.
Sive efformandis nuda ſub rupe metallis
  Incumbat, cupidas præteritura manus,
Fœcundam tu ſolvis humum, dirimiſque vicisſìm,
  Jungis & ereptas inde remiſſus aquas;
Elicis atque novas iteratis ignibus undas,
  Ut novus arentem temperet imber humum.
Ampla crebris ſemper nec enim gemit ictibus incus,
  Nec circumpoſitis Etna remugit agris;
Ignitum chalybem nec ſemper forcipe verſas,
  Otia ſed laſſus fers aliquando Faber;
Nam nec in Encelados ſemper Jovis ardet iniquos,
  Unde nec ungue minax exigit ales opus.
Nec ſemper delubra tenes procul edita Lemnos
  Errore illectus divite numen iners.
Ipſe itaque & levibus ſtudiis, tenuique labore
  Cum, poſitis gravibus, detineare frequens,
Unde ferax quidquid totum natura per Orbem
  Efficit, huic gaudes ſemper adeſſe comes,
Quid ſignent hæc mira refer. cur ſidera ſeptem
  Monſtrat apex, totidem pars tenet ima faces,

Con-

Concurritque simul concordi vimine in unum,
  Obvius itque sibi lumine uterque Polus?
Nascentis Mundi ut primordia is attulit Orbis!
  Emersura rudi ut mixta stetere Chao!
Ut sensim distincta suis dein sedibus Orbem
  Rexerunt juncto cuncta elementa gradu!
Alma Parens rerum, quæ Mulcibre cuncta ministro
  Fers, ejus prompto cuncta tepore fovens,
Et quæ multiplici plenum geris ubere pectus,
  Multifida ut partus nutriat unda tuos,
Arcanisve rotis, vivi & spiraminis aura,
  Hunc modò præcipuà construis arte globum,
Parva hæc ut gignat precox, edissere, tellus,
  Foderit hanc tenui, quæ modò cura manu.
Crevit amica seges, crevere & palmite vites,
  Herbarum hoc viruit vulgus & omne vitro.
Omnis ager lætum dein illicò versus in hortum,
  Jactat post violas lilia, fertque rosas!
At mage mirandum è medio quòd virginis undæ
  Limpidus assurgat fons modò, moxque cadat.
Namque modò egeritur, tenuisque effertur in altum,
  Rorifer hinc recidit, supprimiturque latex;
Subtrahiturque frequens dimensis redditus horis,
  Alternatque suas ignibus ipse vices.
Instruet at mentem hìc subjectus fortè Smaragdus,
  Sculpta licèt brevibus gemma sit ista notis.
Vera hæc, quæ stupido novus hìc modo conspicis hospes
  Lumine, non dubia noveris arte sequi.
Quæ supra, hæc infra. coeant hinc utraque in unum
  Ad mira, omnis amor; principiumve rei.
Unius imperio totus ceu conditus Orbis,
  Sic ex hoc uno quidquid in Orbe fluit.
Id Sole, & Luna genitum, super alta polorum
  Extulit alarum remige sæpe notus;
Depressitque frequens instructo frigore in ima
  Dein aquilo, infesto suetus adesse gelu.
Hinc pingui enixæ telluris lacte refectum,
  Si in terram versum gignere cuncta potest.

Separet humescens terrestria ab ignibus ignis,
Subtile à spisso, concilietque simul.
Spiritus in Cœlum pergat, repetatque cadaver,
Cui docto referet Mulciber igne viam,
Congeret atque imi, & Cœlestis robora regni,
Ditior & duplici fœnore cuncta trahet.
Spectandus Patriæ, quin genti hinc inclytus omni,
Nam prorsus tenebris ipse solutus eris.
Hæc vis est omnis; totus sic conditus Orbis.
Nec tulit absimiles ipsius ordo vices.
Singula adaptabis, teneas ut plura, seorsum,
Atque sagax ignis legibus ipsa reges.
Complevi totum de Solis viribus. Hermes,
Qui Sophiæ laudes, trinaque serta tuli.
Hæc Sphyngem resonant. O grandis carmina Mystæ!
Vix percepta licèt, grandia dona Sophi!
Vera hæc, quæ cerno? hinc mendax ergo exulat error,
Nec fraus ambiguum subdola reddit opus.
Vera hæc: immundæ cum sint mendacia fœces,
Verane quæ, his pulsis, nobiliora manent?
Sunt equidem; verum ut rutilat sine sordibus aurum,
Ut vera abrupto cortice gemma nitet.
Constantes ubi certa trahent mox præmia nisus,
Præmia quis cupido tardet adire pede?
Quæ supra hæc infra: an quidquid vi spiritus amplo
Turbine Cœlorum volvitur, ima tenent?
An globus iste vagum, quo circumcingitur, Orbem
Complicat, & parvo continet omne sinu?
Cuncta sub exiguis an strinxit sidera zonis,
Contraxitque brevi lumina quæque polo?
Sunt ubi lugentes Hyades, nymbosus Orion,
Helice Hyperboreæ plaustraque lenta plagæ?
Pleiades, Herculeæ violentaque lumina Clavæ,
Lucida Lancis, Avis regia, & ater Hydrus?
Quæ supra, hæc infra? nitet hoc ecliptica vitro?
Lactea stellatum hìc semita pandit iter?
Splendet ubi hìc Crater, cupidus vel fulget Iason?
Argo & Cœlestes quas modò findit aquas?

Quam

Quam misera ingemuit, fœlici hìc læta nitore
  An tulit Andromadem Cassiopea suam?
Pegasus, Ursa, & Aper, Serpens, Lupus, ira Leonis
  Convenere? ferus quo latrat axe Canis?
Alliciens oculos septeno hìc sidere culmen
  Omne quidem rutilat, cœlico & igne calet:
Hinc radiis jubar omne simul petit ima refractis,
  Subsidiis reddit, quæ meliora suis;
Inverso & rediens immissa hinc flamma recursu,
  Obviat inde sibi mutuò uterque polus;
Quæve supra, hìc pariter sic ingeminantur & infra,
  Namque repercussæ robore lucis agunt.
Non ideo tamèn hæc sibi complicat omnia pixis
  Astra, suo robur ni trahat omne sinu.
Fornicibus partìm vitreis an desuper hæret
  Mulcibre versa in aquam, fiat ut ima, silex,
Imave quæ partìm nondum resoluta quiescit,
  Alta petet paritèr, mox solidanda, fluens?
Parsve soluta iterùm recidet fixanda, fluetque
  Tunc etiam in similes consolidanda vices?
An geminæ hæ partes, vitreum hoc quas protulit unum,
  Ut junctæ posthac efficiantur idem,
Exigui existunt arctus Sol, Lunaque Mundi
  (Urna hæc has siquidem condere visa faces)
Ignis an, aut imber, corpusque, aut spiritus, æther?
  An tellus, sponsus, nuptaque, lacve, merum?
Nunc hebes obtutus radiis tenuatur opimis,
  Nunc mens implexis hæsitat acta moris.
Spiritus ut rapit irrequieto hìc turbine sphœras,
  Versat & alternas fervor, & aura rotas!
Quæ supra, hæc infra: coeant hinc utraque in unum
  Ad mira: hæc igitur res dirimenda prius.
Edocuit Deus ipse undas sejungere ab undis;
  Natura absimiles non movet inde gradus.
Hinc Lymphas dirimit, partìm quas halat in axem,
  Divisasque iterùm jungit utrasque sagax;
Fitque latex Cœlum; concretas quippe pruinas
  Reddit, & ingestas igne madente fovet;

Vertit & in terras, unde is prius editus humor,
Sedula ut hæc arens omnia condat humus.
Hinc ipsa *omnis amor cunctarum est unica rerum*,
Principium, pondus, præsidiumve simul.
Unius imperio totus ceu conditus Orbis
Sic ex hoc uno quidquid in Orbe fluit.
Omnipotens velut ex nihilo dedit omnia nutus,
Cui simul ut fierent hæc, voluisse satis,
Ipse idem cunctis sic rebus prætulit Unum,
Unde ortum traherent cætera quæque suum;
Singula nam ducunt vitalia lumina ab ipso;
Usque adeo hæc summo res decorata Deo est.
Id Sole, & Luna genitum: quid clarius unquam,
Principium melius, nobiliusve tulit?
Præcipua æthereæ, gravioraque robora lucis
Huic cunas curvant, irradiantque stolas,
Unde simul Lunæ, & Solis Cœlestis, & imi
Vi pollet duplici, divitiisque nitet.
Fœlix astrorum cui fert exordia princeps,
Udæ quod noctis præses amica fovet;
Temperiemque ipsi mox inserit utraque lampas,
Degere ut hìc possint ignis, & unda simul.
O lux, siderei pars o pulcherrima regni,
O verax Summi fulgida imago Boni,
Illustris rerum facies, decor inclytus omnis
Ipsa poli, atque imæ sedis amica salus,
Quæ astrorum, Solisque vigor, Cœlique, animique
Tristitiam perimis, lætitiamque paris,
Et semper rectà incedens, adis illicò totum
Ipsa Orbem, & perstans integra, cuncta reples,
Nam nulla, ipsa licèt cunctis te effuderis, unquam
Detrimenta subis; vel vaga, tota manens,
Ut stellas radiis ornas, majoraque condis
Lumina! terrarum cernis ut ipsa sinum!
Et gignens aptis illud quo hìc cuncta trahuntur
Ignibus, obtutu ut divite sola vides!
Hinc auro, & gemmis id purius emicat unum,
Fortius hinc toto est, fertiliusve solo;

Colli-

Colligit unde ipsum divisìm sparsa feraces
  Quæ efficiunt agros, quæve metalla gerunt,
Id Sole, & Luna genitum, super alta polorum
  Extulit alarum remige sæpe notus;
Depressitque frequens instructo frigore in ima
  Dein aquilo, huic modico suetus adesse gelu.
Viribus arcanis properata vehicla, supernis,
  Atque imis venti semper onusta opibus;
Quæ namque attollunt udi, calidive, rigentes
  Hæc terris regerunt, gignit is unde globus;
Insanis nec enim conatibus aera volvunt,
  Nec frustra invadunt viribus ima suis.
Sæva sed & visi concurrere ad arma, sonantes
  Et fluctus tumidi tollere ad astra maris,
Vellere & arboribus ramos, potioraque sylvæ
  Robora, & eversis ludere sæpe casis;
Aera vexando ne torpens fortè pigrescat,
  Vitalem reddunt, conciliantve solo;
Aptos disponunt imbres, nimiosque repellunt,
  In germen referant semina, oborta fovent;
Spiritu & undarum imbuti, dum prorogat imbres
  Tarda diu nubes, arida culta regunt.
Perficiunt segetes ut velamenta latenti
  Discindunt frugi, proficiuntque minis;
Viscere & ex imo quidquid vix notus ademit
  Auster humo, huic aquilo rettulit, unde ferax.
Tam prosunt Orbi. *telluris lacte refectum:*
  Hæc ergo ut nutrix ubere semper alit;
Allicit ut puerum; reducem, residemve quieti
  Dat, somno ut recreet mox nova membra frequens,
Æstibus exudans quod si contempserit imam
  Is sedem, atque aliis ausibus alta petat,
Amissum dolet, & fidis aquilonibus altrix
  Cogit in optantem sæpè redire sinum;
Terrestri atque ipsum devincit sedula nexu,
  In terram ut versum gignere cuncta queat.
Ut mihi defixis scrutanti obtutibus, altum
  Terra, quod objicitur, jam dedit ista vitrum,

Quod velut anguſto contraxerit ordine mundum,
  Aſtra tulit, parvo & clauſa elementa globo,
Prætulit & nocti Lunam, Solemque diei,
  Movit in alternas ignea, & uda vices!
Hìc circumductum repetito vortice flumen,
  Hìc piſces tenui cerno natare Mari.
Aſpicio hìc meſſes inaratis ſurgere glebis,
  Floribus hìc hortos exhilarare ſuis;
Attolli hìc fontes, regerive; horrenda venenis
  Hìc monſtra immanes dente minata neces;
Hiſque ſoporifero abſorptis exinde liquore,
  Vitæ in præſidium verſa venena meæ.
Separet humeſcens terreſtria ab ignibus ignis,
  Subtile à ſpiſſo, conciliet ve ſimul.
Hìc igitur ſensìm dirimendum præmonet unum,
  Natura ut ſolers nil violentèr agit.
Quis tamen hìc ignis tolli, quæ preſſa relinqui
  Debeat hìc gravitans terra, modusque latet;
Quod paritèr ſpiſſum, quod ſit ſubtile trahendum
  Mirus ubi duplices fons gerit unus aquas.
Anne repugnantes occultis ignibus undas,
  Sit licèt illuſtris, nectere cura queat?
Sive vaporoſus, leniſve, atque humidus Unum hoc
  In geminas partes dividet arte calor?
Sive diu calidus, refovens hoc venter equorum
  Diruet, aut ſophicus deſtruet omne fimus?
Hac, hac ambiguis latitans it callidus error,
  It perſonatis fraus comitata dolis,
Unde gradus pavidum dubia in declivia ponit
  Ingenium, incerto & tramite nutat adhuc.
Unum ſubſidit gravitans, immobile, fixum,
  Evehitur pennis pars levis acta ſuis.
Quodve manet, terram redolet, quodve evolat, undam;
  Vertitur in laticem terra, fit unda ſilex;
Utraque & alternis vicibus, concreta, fluenſque
  Induit alterius mutuò ſæpe ſinum,
Dum ſensìm tellus fluit integra, & integra ſensìm
  Vertenda in terram vincta reſidit aqua.

Spiri-

Spiritus in Cœlum pergat, repetatque Cadaver,
Cui docto referet Mulciber igne viam.
Lacte madens, tepidis recubans nutricis in ulnis
Id quanam perimit Lemnius arte faber?
Armet ut occultas furtivis ignibus iras,
Cœlato an diras instruit igne manus?
Sive modo illiciis, sensimve tepentibus auris
Humenti vitam surripit igne vafer,
Et reserans ipsi resoluto corpore poros,
Compedibus fractis pandit in astra viam?
Sive palàm flammis, quas cuderat ipse, trisulcis
Conficit, & fulmen denegat inde Jovi?
Ipsum olim fama est subtectis retibus ultum,
Atque lacessitis incaluisse dolis:
Lædere at an potuit quod nondum crevit adultum?
Quivit an innocuos crimen habere sinus?
Quin potius Cœlo natalia nactus ab alto,
Vel puer optanti grandia spondet humo;
At prius obstrictus, lacrymisque rigatus obortis,
Expositus nudis ipse adolescet agris;
Et sæpe exanimis vitales prodiget auras,
Undè putre, admissa morte, cadaver erit;
Extinctosque iterùm reparabit spiritus artus,
Quos vita semper nobiliore trahet.
Neglectum vulgi pedibus, spretumve jacebat
Ebur, Olympiaca quod stetit Æde tonans.
Pondus iners fuit, abjectum, atque informe metallum
Quod Capitolina fulsit in arce minax.
Vitalis ferri dum lusit in ebore vulnus,
Et chalybem docuit flamma referre Jovem,
Ara duplex utriusque tulit tunc iconis omen,
Insultans passos sculpsit & error heros.
Quodlibet erudiunt pœnæ; per tela, per ignes,
Per nexus, glacies, Sulphura cuncta meant.
Mens pollens, vivo imbuta, atque carentia sensu
Indicto hìc debent ordine dura pati.
Sæpe neces sternunt homines, sed in astra cadentes
Ire queunt; olim victima sacra greges.

Quæ

Quæ Casio palma, & Libano stetit æmula Cedrus,
A bscissæ eterno Templa dedere Deo.
Semina sub glebis, quæ lassus sparsit arator,
Infœcunda suis, ni moriantur, erunt.
Namque per extremum discrimen sæpe refertur
Omne bonum, ut melius, lucidiusve micet.
Hæc non absimilis sic spiritus exta relinquit,
Purior & proprium deinde cadaver adit;
Congerit atque imi, & Cœlestis robora regni
Ditior, & duplici fœnore cuncta trahit.
Nam quidquid medio rutilans altissimus astro
Dat Saturnus humo, fundit & axe Jovis,
Quidquid Mercurius, Mars, almæ & lucis origo
Sol, atque humentes Luna, Venusque fovent,
Quidquid stellarum fixum simul ingerit agmen,
Quæve repercussus gignit opima calor,
Junctæ ubi conveniunt vires, & robur adauget
Concurrens duplici lumine uterque polus,
Colligit hoc Unum; quodcumque & nacta benignis
Ignibus hinc ima hæc omnia, id omne refert.
Quid mirum causas Unum cum complicet omnes,
Quod simul hìc peragunt terra, polusve queat,
Cunctarum atque capax rerum vertatur in omnes
Res, & fœcundo pectore cuncta gerat?
Multiplici gignunt tumidæ sic semine glebæ,
Perque vices flores, robora, poma ferunt,
Queis modò gemmascunt reparato palmite vites,
Florida nunc verno flamine gaudet humus;
Nunc viret alma Ceres, nunc flavas curvat aristas,
Et modò stat vincto mergite cæsa seges.
Spectandus Patriæ, quin genti hinc inclytus omni,
Nam prorsus tenebris ipse solutus eris.
Summè itaque est pollens, & rege potentior omni
Arbitrio robur cui stetit omne suo,
Auri qui latices novit reserare perennes,
Cui faustæ & vitæ prodiga vena scatet,
Quive omnes potuit rerum cognoscere fontes,
Ductaque principiis nectere cuncta suis;

Scitque

Scitque unde irrequietus eat Sol semper anhelus,
Astraque perpetuis unde voluta rotis;
Undè & discreti varia sint luce Planetæ,
Quisque ut fœcundas fundat in ima faces;
Unde imbres, venti, tonitru, fulgurve coruscum,
Et pictis hilaris fulgeat Iris aquis.
Aera quid moveat, queis ferveat ignibus æther,
Unde humus hìc halet, quo fluat Orbe vapor;
Undè & quæque suam ducant hìc germina vitam,
Atque suam saxa, & dura metalla trahant;
Quo tellus ictu fibris quatiatur in imis,
Quidve procellosis fluctibus error agat.
Talia qui teneat cùm singula noverit, omnes
Dum mente, & parva hac pyxide condit opes,
Ipse sui dives, nullius & indigus auro,
Integer & morum lumine ubique micans,
Cum victor tenebras is propulsaverit omnes
Sol alter, radiis clarus ubique suis,
Ut meritò cunctis celebris fulgebit in oris,
Sparget ut in cunctis aurea dona plagis,
Dum, quocumque meet, vestigia figet opimis
Gressibus, ut Ganges assolet, atque Tagus!
Hæc vis est omnis: nil ergo potentius ipsa,
Nil mage robustum, dignius ergo nihil.
Omnia nam vincet subtili & prædita flamma,
Quæve tenax solidat dura metalla rigor.
Hæc dissolvet enim, perstringet protinus illa,
Et penitus formis induet omne novis.
Destruit ut reparet. *totus sic conditus Orbis,*
Nec tulit absimiles ipsius ordo vices.
Id paritèr stupidis deprendi obtutibus, isto
Dum nupèr vidi cuncta agitata globo
(Omnia condit enim) indigesta Elementaque nexu
Mixta rudi, informi & contemerata chao;
Ut verò validas movit super Æthera pennas
Spiritus, & ab aquis dissociavit aquas,
Et partìm evexit, partimve coercuit infra,
Arida ut illæso margine terra foret,

Con-

Concretoſque tulit latices, voluitque liquatos,
In fœcundandam quos revocavit humum,
Illicò vitalis virtus, pulcherrima rerum
Lux patuit, toto fugit & umbra vitro.
Hoc parvo & potiora polo emerſere viciſsìm
Lumina, ſidereis Æmula facta plagis.
Efformata dies, conceptaque ſemina in ortus
Erupere ſuos, pinxit & arva viror.
Latura hinc fruges adoletaque germina, vites
Hinc pubeſcentes, prodiit atque Ceres,
Et flava in meſſem falces quæſivit aduncas
Ut matura daret pabula grata ſeges.
Verſicoloratis pictos hìc floribus hortos
Rettuli, & accenſas lilia ferre roſas,
Nec qua forte ſcio natura hìc luſerit arte
Albo ut purpureus poſſit ineſſe color.
Argenti, atque auri libuit dein cernere plantas,
Quæ ſua multiplici fœnore poma darent
Singula adaptabis, teneas ut plura, ſeorſum,
Indictiſque ignis legibus ipſa reges.
Singula : nam licet hoc mox duxerit omnia vitrum,
Sejuncta ut vario cuncta tepore gerat,
Non vult diverſæ aptari ſibi ſemina claſſis
Junctìm, ne pariat degener inde ſinus,
At quodcumque velim verſatilis indolis Offa hæc
Cum trahat ingenium, nec ferat omne ſimul,
Singula diviſìm cum jecero ſemina in ipſam,
Optato ſurget lumine quidquid amem,
Si tamen occulti ſeries mihi ſuppetat ignis,
Lymphaque ab occluſis elicienda fibris,
Flammaque, & unda ſimul ſic mutet jura viciſsìm,
Altera in alterius vivat ut inde ſinu;
Is circumfertur duplici hoc nam cardine currus,
His geminis omnis volvitur ordo rotis.
Diſpoſitis igitur tellus reſoluta ſit auſtris,
Ut liquidam gelidus colligat Eurus humum;
Alternentque vices vario diſcrimine venti,
Donec concretus compleat ima liquor.

Tunc

Tunc fœlix, tunc pinguis ager mihi gignet opíma,
  Sit licèt exiguus, jugera quidquid habent,
Votorumque gradus excedens protinùs omnes,
  Proferet arbitrio, quæ meliora meo.
Congeret Eois quidquid fert fluctibus Indus,
  Quæ vehit occiduus nobiliora Tagus.
Cum Satur optato fuero mox dives in auro,
  Vilefcet manui copia fpreta meæ.
Ultima nec fulvis fiftetur meta metallis,
  Lucidiora novus nam mihi gignet ager;
Unde quod invideam nil oftentabit Hydafpes,
  Nec majus pandent Perfica Regna jubar.
Hac dabitur fulgens ignita luce pyropus,
  Hac furgent adamas, atque hyacinthus humo;
Saphyrufque polos referens, & prata Smaragdus,
  Quidquid Erythræis conchave jactat aquis.
Complevi totum de Solis viribus: omnes
  Hoc itaque expofuit carmine Solis opes,
Robur & eximium, invalido quo fortè medetur
  Ipfe homini, & totum quo regit inde globum.
Hermes: ò dignum radiorum emblemate nomen;
  Alto candoris munere luce fcatens,
Sculpendum tantùm in tabulis adamantis, & auri,
  Quod virtus avido lumine, & ore legat,
Lucida quo exornet niveum Sapientia pectus,
  Ut victum Solis refpuet ipfa jubar.
Fulguret hoc femper nomen tam grande Smaragdo
  Index laudandi per nova fæcla Viri,
Qui lapidem fluere edocuit, lapidefcere & undas,
  Ignem concretæ & conciliavit aquæ;
Cui potiora fuos hìc lumina, & aftra recurfus
  Fecere, & zonis enituere novis,
Cui quæcumque dedit longos natura per annos,
  Condidit ars uno nobiliora die,
Orbis & effigiem parva hac conclufit in urna,
  Qui Sophiæ laudes, trinaque regna tulit;
Scilicet imperium ut triplex qui hoc novit in Uno,
  Rexit & arbitriis fedulus inde fuis;

Quid-

Quidquid nempè animans, vegetans & ſpiritus implet,
Perficit atque imo dura metalla ſinu,
Pollens arte dedit naturæ hic Æmulus omne,
Obſtupuitque citas tardior ipſa manus.
Ingeniis vix tacta ſacris at in abdita anhelans
Devia, inacceſſas audeo adire vias,
Vincit ubi obtutus nitor, hunc ſive occupat umbra,
Nam ſummè irradians ipſe fit umbra nitor?
Quid veſtigo oculis? animo per inane volanti
Incaſſum heu tollor, compede vinctus humi!
Mens abſiſte igitur; vanis conatibus arctæ
Fruſtra apices gemmæ, ſymbola & alta ſubis.
Impigra quin redeas, verſique recurrite greſſus,
Metiri invalidus deſinat iſta labor.
Alliciens humili quàm diſtat limine fulgor!
Excedit vires ardua meta tuas.
Ecquis enim ut tellus ineat commercia Cœlo
Noſcet, ut hæc regerant ſidera cuncta ſolo?
Quæ ſuper immo nitent, niteant ut in Orbis & imo
Viſcere, & hinc duplicet robora uterque polus?
Ut reflua in ſilicem vertatur & unda, viciſſim
Arida ut in lympham tranſeat ipſa ſilex?
Ut laticem mox ignis amet, redametur & idem,
Sitve æquo junctus glutino uterque ſimul?
Non omnis pennas effert par nubibus ales,
Nec potis eſt æquor findere cymba levis;
Dantur Apollineæ cuivis neque fræna quadrigæ,
Quin bibit emeritas qui tulit unus aquas;
Nec patitur Cœlum lucem ſibi diripi, & ignes:
Qui fidit hos, penas, vulturis eſca, dedit.
O rerum implexos nexus! o arcana profundi
Per cœcos cuneos non adeunda ſoli!
Abdita ſtellarum o miſeræ non pervia menti
Compita, ni prono fulſerit igne polus!

LIBER SECUNDUS.

SCrutarer viridis cum fixa indagine gemmæ
Devia, Cretensi vix adeunda glomo,
Myftica condentes musivi fornicis arcus,
Et nondum noti Symbola mira globi,
Ex nuper visis insculpto ænigmate muris,
Quos mens rapta aliò, præteriitque ftupor,
Hærenti objicitur paries mihi primus, & altum
Ut reor, hoc forsan carmine spondet opus.
Exiguum quisquis non tuto tramite Mundum
Ingrederis, dubio & lumine opaca subis,
Perpendens animo quo se regat ordine; nexus
Vestigans rerum, summaque, & ima videns,
Iveris immenso prius hoc, namque alter imago
Hujus, ad exemplar se gerit ille suum.
Quin primos aditus radiis natura benignis
Pandet, & obliquum prævia carpet iter.
Namque per implicitos hæc una it certa Meandros,
Sueta per occlusos nectere cuncta sinus;
Scit sola anfractus, cæcos scit sola recessus,
Quit sola objectas exuperare moras.
Hanc sequere, intento & relegas vestigia gressu:
Hac duce virtutis scandere templa potes,
Illustresve animas, pennasve æquare Sophorum,
Ipsorum & pulchro jungier inde choro.
Aude igitur, molire aliquid, quo dignior adsis,
Vix aliis notas visere perge plagas.
Principia, & vires rerum, nexusque latentes,
Abditaque hoc unum cuncta docebit iter;
Ut gemini valido concurrant sidere soles,
Claudat ut ipsa suas terra fovenda faces;
Infima supremis concordi ut luce vicissim
Assiduis gignant emoritura rotis;
Utve unum in cunctas distinguat provida classes
Natura, ingenio verset & ista suo.

Hæc

Hæc cervicosum nequit inspectare lycæum,
Hoc cæca, & mollis negligit aula iubar.
In tenui labor, at tenuis non inde voluptas
Est rerum causas nosse, adiisse vias,
Elusamve procul Sapientum cernere plebem
Spernentem risu quæ meliora suo;
Atque supercilio damnantem sæpè superbo
Quæ fulgent toto nobiliora solo.
Ardua prima quidem via, difficilisque petenti
Redditur, ignivomis contemerata feris;
Septa aquilæ impediunt, mixtique leonibus angues,
Et circumplexus claustra timenda draco.
Hæc tamen haud paveas, tenui nam capta sopore
Monstra hinc ingressum conciliata dabunt;
Immo venena levi fuerint cum roscida ab imbre,
Ipsa in solamen vertet amica quies.
Inde alacer violas, immortalesque amaranthos,
Inde leges albas, purpureasque rosas.
Perge itaque inspectis è rerum margine metis,
Nec tardet validos liminis umbra gradus;
Nam facile abiicitur, despectaque pellitur, anceps
Quam lumen dirimit, vincit & aucta dies;
Quo mage disiectis siquidem gradiere tenebris,
Majus eo dabitur, nobiliusve jubar.
Gaudeat adventans inopino ibi vere cupido,
Ludat & exiguis cymbula mentis aquis.
Quot tibi deliciæ, rivique, & poma patebunt
Aurea, seminibus multiplicanda suis!
Vilia tunc dices quæ olim finxere poetæ,
Thessala vel Tempe præstitit, aut Babylon.
At metire gradus: cautos componere gressus
Discat ab eximio vis operosa globo.
Omne genus summè tali decoratur ab Uno,
Quod sibi subjectum condere vulgus amat.
Talis sol melior stellis, aurumque metallis,
Viventes inter talis habetur homo.

Tale

Tale est præ cunctis undarum fontibus æquor,
Virtutes inter talis habetur Amor.
Sic in natura simplex supereminet Unum,
Quo hæc eadem simplex gignere cuncta potest;
Omnia servat enim, præstante id Numine, rerum
Semina ibi, in classes cuncta trahenda suas.
Hoc constant quæcumque vides, imbutaque tellus
Hoc, pro conceptus robore quæque parit.
Ignibus evectum, cœli & per inane refusum
Hinc rediens, terram rorifer humor alit;
At cœlo suadente, & humo concretus amica
Fit tener in glebis ipse aliquando chalybs,
Omnia concursu unde altrix natura superno
Evocat, ad vires multiplicanda suas.
Se commiscet enim genioque, & imagine rerum
Protheus is, cuncta hæc non fabulosus agens.
Ex Tigride hinc Tigrides, sævoque Leone Leones,
Datque vigil vigiles fida Catella Canes.
Ex quercu quercus, ex molli gramine gramen,
In rebus formam servat origo suam.
Namque infœcundos nil hìc damnatur in annos,
Cuncta sed ad partus semper opìma suos.
Cuique sua indiderit cum Numen semina, & ipsi
Progignunt lapides, ipsa metalla tument.
Dantque sibi similes quæcumque hìc corpora fœtus;
Principium redolet quidquid in Orbe suum;
Dummodo conceptus certo gerat ordine matrix
Debita, ut inscriptum signet imago patrem,
Nec nisi naturæ serventur jura, reclusis
Aptis causarum viribus, unde meet,
Dum fœcundandis nectuntur sidera terris,
Vitalive simul lumine cepta fovent,
Conceptu propria efformato in membra, sequetur
Legitimæ optato fœnore prolis amor,
Quit nec enim tutò hinc aliena ab imagine nasci
Quodlibet, at vario semine monstra dabis.

Mutua cum nempè hic rerum conversio detur,
Quæ cuncta ex uno condita forte monet,
Cuncta ut concurrunt motu properata perenni,
Principiis eadem conveniuntque suis,
Singula formantur, postve incrementa premuntur,
Preßaque perpetuis sunt reparata rotis.
Nam sibi respondent, puris religataque amoris
Nexibus, alterno cuncta tenore fluunt,
Harmonicis ubi juncta rotis sociata vicissim
Singula ad affinem sunt revoluta suum.
Percurrenda horis spatia irrevocabilis Ævi
Ut simul implexo sunt copulata gradu,
Infima sic mediis, sunt hæc innexa supernis,
Authori & parent ipsa superna suo;
Subjectæque agmen classis complectitur ordo
Dignior, immissis cui nitet iste notis.
Cuncta igitur condens supereminet omnibus, Unum,
Quod summum proprio Numine cuncta replet.
Mille hinc flammarum nymbis, donisque beatur
Plena voluptatum fonte suprema cohors;
Perque gradus reliquos reliquum descendit in agmen
Cœlicolum immenso quod nitet igne jubar.
Major ut in Cœlis regit, irradiatque minorem,
Majoris trahitur turbine sphæra minor;
Solque latex ignis, fœcundæ & lucis origo,
Unde homini certâ tempora lege meant,
Aera per liquidum, qui vector luminis Orbi,
Et quo interjecto est terra revincta polis,
Multiplici Stellas radiorum fœnore ditans,
Lunamque, ut noctis affet & umbra decus;
Perque gradus varios volvens, variosque nitores
Lucida terrestres astra aditura sinus,
Exercet Cœlum sua sic commercia terris,
Imaque supremis sunt glomerata plagis.
His ita dispositis, numeroque, & pondere vinctis
Ut vitâ possint nobiliore frui,

Omnia

Omnia pervadens lux gignit, & educat, imis
Astraque sub terris luce refusa fovent.
Cœlorum speculum hinc virtutes complicat orbis
Infimus, & duplici sidera in axe micant.
Provida quot spargunt in terras ipsa favillas,
Tot tellus formas concipit inde novas;
Quidquid & extenso Cœli velamine scriptum est;
Exscriptum terræ in margine fortè leges.
Ulla nec effulget stellarum cardine virtus,
Quæ non fœcundam lumine reddat humum.
Unde Dei digito velut hìc insculpta diserto
Sunt plausu Authorem singula fassa suum;
Omnia nam Summum testantur corpora Fabrum,
Et quæ sint Cœlis abdita; visa docent.
Singula disposuit Summa ut Sapientia! rerum
Ut regit assiduas pondus, & ordo vices!
Jungitur harmonicis terræ ut concentibus axis!
Consonat ut paribus quidquid in orbe modis!
Mutuò tam prosunt sibi singula, summaque, & ima
Implexis gaudent, proficiuntque rotis,
Ut rerum moli ex cunctis quæcumque deesset
Ipsarum species, perdita cuncta forent,
Et quodcumque polis premeretur sidus anhelis,
Exitio fierent cætera pressa suo;
Namque ubi libratos non ferrent corpora nexus;
Invalida at fractis viribus ipsa forent,
Humenti lædenda lue; aut perimenda sub æstu,
Mactanda aut siccis, vel peritura gelu,
Subsidia haud aliis elargirentur ut extent;
Nec sibi sufficerent interitura simul.
Deliquium subeat Sol per momenta, repentè
Languet humus; quid, si prorsus abire putes?
Singula si infaustis lædunt aspectibus astra,
Dempta polis gravius singula obesse queunt;
Nam licèt imparibus videantur dissita flammis
Congressura simul, pugna fit ipsa quies.

Toti quin Orbi, & quæ dissona visa subinde
Proficiunt, tactæ ut fila canora lyræ.
Hinc inter plantas, interque metalla venenis
Est locus, & sedem ponit amica salus.
Noxia propinant fontes aconita Novercæ,
Napellumve parant? subvenit herba medens;
Mercurius grato, ut sævit, lenitur ab auro,
Quod nocuit stibium prodigit unde juvet.
Sic obsunt, prosuntque feræ: cum læserit una,
Altera subsidium, quo medeatur, habet;
Immo eadem dat utrumque; crebrum fert vipera funus;
Atque arcet; delet vulnera quæve dedit.
Nil siquidem frustrà Deus exhibet; ima supremis
Unit, & adversis perficit ipsa rotis;
Vultque per oppositas agitata existere formas,
Robur & assiduo sumere ab hoste jubet.
Ceu medicamen agit, contraria plura quod aptant:
Singula deme, queunt cætera ferre necem;
Si non corrigitur nam quidquid prævalet, ipsum,
Quod putat antidotum, dum parat error, obest.
Quæ pugnant elementa simul, discrimina linquant,
Et perit omne rogis, vel premit omne gelu.
Sic pariter Stellæ, quarum pars forsitan iste
Est globus, immensæ cui radiantur aquæ,
Multiplici influxu, varii flammisque reflexis
Luminis, alternum dant sibi fortè jubar,
Admissos regerunt ignes, distinctaque præstant
Robora, & arcanas, quas meditantur opes;
Et licèt oppositos fundat per inane nitores
Quælibet, innumeris ditet & ima rogis,
Discrepet adversa & radiorum luce vicissìm,
Fervet ubi æthereis fulgida lucta plagis,
Qua Venus uda, calens qua mars, Saturnus, & algens
Mutuò sub superis congrediuntur aquis,
Tam discors sociis fulgor moderatus ab astris,
Unus ubi è cunctis fit, rutilatque nitor,

Har-

Harmonicis pergens copulatus nexibus, Orbem
Imbuit, & junctis viribus ima fovet;
Et dum millenis manans è fontibus implet
Avia multiplici sparsus odore vapor,
Æthereis, imisque rogis tenuantur & undæ,
Queis rarum hoc refluit, porrigiturque mare,
Viribus imbutus cunctis telluris, & axis
Hinc aer trahitur, prosilit unde salus,
Terrarum virtus, cunctisque animantibus idem
Occultus vitæ, præcipuusve cibus.
Indistincta licèt coëant simul omnia in unum,
Et rerum hinc unus perficiatur amor,
Quælibet alterno se vis attemperat igne,
Ut fulctum alterna quodlibet extet ope.
Cuncta meant siquidem, opposita & quæ visa, libenti
Juncta gradu, ut summum perficiatur opus.
Constantes nexus hinc terras inter, & astra
Pignora utrisque simul conciliata ferunt;
Sed non cuncta patent, nam vult meliora latere,
De his quasi sollicitus, Conditor Almus humo.
Quæ tamen involvit sinubus tumulata profundis,
Explicat externis effigiata notis.
Ceu cor, naturæ summa hinc arcana sub imo
Demittit centro, nobiliora tegens.
At quidquid sparsum facies habet extima, paucis
Collectum servant abditiora probis;
Et meritò profectò latent meliora, labore
Ut quæsita magis pectora adepta beent,
Utve Deo addictos animos virtutibus auctos
Exoptata diu sublimiora dicent.
Quod si, summa licèt, spretæ communia plebi
Obvia mox fierent, vilia cuncta forent;
Quin eadem cupidis decuit subducere avaris,
Certus ut indictas duceret ordo vices;
Unde Opifex rerum menti selecta colendæ
Cum dederit, reprobæ sustulit ipsa siti;

 Nam-

Namque bonum summi cum semper imago Creantis
Splendeat, huic sordens quæ foret ara sinus?
Id tamen haud terris adeo tumulavit in imis,
Occlusum celsis aut dedit omne polis,
Ut Cœli, terræque vices, duplicataque prorsus
Lumina ceu nebulas inter operta forent;
Sublustrem at radiat rerum lux intima frontem,
Ut clausas facies extima signet opes.
Cerne referre polum gemmisque, & floribus agros,
Æmula cœlestis cerne metalla plagæ.
Ut solers vigilat terrarum partubus axis!
Omnis ut acclines suspicit herba polos!
Cœlestes plantas fulgentia sidera dicas,
Terrestres stellas germina quæque putes.
Quin nihil effetis liceat tibi visere terris
Quod non sidereum monstret inesse jubar,
Unde ferax passim vegetat sua pignora tellus,
Squamosas acies concipit unde Mare;
Nam patiens proprio conjunctum compare agenti,
Vivida completo tempore quæque parit.
Nil tamen ac semen tam mentis lumen obumbrat
Ut fœtus gignat, multiplicetque suos;
Exiguum, tenue, indistinctum ut prolis origo,
Tota ipsi occlusæ & subsit imago rei;
Ac velut in speculo collectæ, atque arte refractæ
Se solis geminant, multiplicantque faces.
Glande sub angusta patula efformetur ut ilex,
Messis ut è grano prodeat alta putri.
In centro at rerum sapiens meliora redegit
Cuncta Deus, quæ pars extima sparsa tenet;
Singula sic causæ ingenium, geniumve sequuntur,
Indita nam rebus vivit imago suis.
Id color, id species, viresque, arcana sigilla
Id referunt; patrum lumine quæque nitent.
At rudis externis cum mens consistat in umbris,
Occlusum & rerum negligat ægra jubar;

Obtu-

Obtutuque brevi, quæ primò oblata, quiescens
In sede, inspectans extima, & alta domus,
Nobilius, quod fortè latet ceu numinis icon
Præterit, & clausum despicit ipsa decus.
Altè oculis scrutanda nitet lux intima, velo
Circumplexa suo, visque nitoris agens.
Aspice ut in cunctis vestigia sideris extent,
Quo fulcta, & proprii luminis umbra micet:
Aspice ut arcano sit virtus indita nexu,
Sitve, polos referens, axis imago solum.
Scrutari aut plantas libeat, sive utile vulgus
Herbarum, aut silices, sive metalla velis,
Robora ubi externus satis indicat ima character,
Et color o ductas sæpe revelat opes,
Exeret in cunctis se clausæ lucis imago,
Prodibit virtus indita, visque potens.
Clarus ut à mutis differt laquearibus hospes,
Nucleus à duro ut cortice, ab ære nitor,
Intima ab externo tam distant robora vultu,
Condita queis pollent singula, visque latens.
Sat meliora tamen natura hinc ipsa revelat
Ejus ut inscriptus percipietur amor;
Instructa hæc siquidem supremo à lumine, toti,
Omnibus ut prosit, præsidet æqua solo.
Hinc introspicias igitur quæcumque videre
Mens est, queis valeant, quæve referre queant,
Rimerisque aditus cæcos, formasque, coloresque
Ipse omnes, qua & sint indole nosce priùs.
Gentibus haud idem sermo, nec aratur eodem
Charta stylo, at variis cuditur ipsa notis:
Inscribente Deo naturæ at pervi s omni
Sermo est, atque idem percipiendus apex;
Unde nitet rerum virtus, patefactaque cunctis
Cuncta Sophis, omnes qui subiere sinus.
Obvia nam nostros ut signant extima mores,
Clausaque sat notâ ex indole corda patent,

Insita cunctarum pariter sic robora rerum
Noscimus, umbra suum fert ubi fida jubar.
Hincve frequens morbo occurrit medicamen iniquo,
Vitaque postremos prorogat aucta dies;
Pauperiesque suas detergens provida sordes,
Haud eadem, cumulis gaudet opima novis,
Indulgente inopina Deo modo pervia cuique
Dona, vel in proprio sæpe refusa solo;
Ullus enim haud aderit peregrinis mercibus unquam
Indigus, alterius subsidiisque poli.
Quòd si despectis propriis, meliora videntur
Quæ fiunt sumptu nobiliora gravi,
Unde lubent Peruana, dedit quæve Indica Nilo
Gangis arena, Scythæ quæve dedere truces,
Quæve ab Erythræis, Afrisque vehuntur ab undis
Præponit nostris devius error agris;
Si tamen inspicias naturæ ex indole vires,
Metiri & proprio è climate cuncta velis,
Auxilium haud melius quàm quod cuicumque subinde
Fert natale Solum, præsidiumve putes.
Namque aliis quæ forte cibi, tibi sæpe venena,
Subve polo alterius quod medicamen obest.
Hinc quæ proficiunt homini, dedit obvia Numen
Ipsi, & sub proprio jussit adesse polo.
Quin ut cuncta simul famulentur provida eidem,
Vel vili, & minimo præbuit esse ferax.
E fragili culmo, & paleis flavescit arista,
Virgineas ceras, mellaque fertis apes.
Debilis exudat pretioso vitis Iacco,
Construit & vermis serica dona brevis;
Sub sterili videas exesa & rupe metalla
Abdita, sideribus conciliata suis;
Quæve homini confert substantia cœlica vitam
Unde sit, è griseo noscitur ipsa globo:
Quodlibet immissæ nam lucis dona revelat,
Impressumve refert iconis arte patrem;

Inspe-

Inspectaque sui quæ roboris ardet origo;
Singula queis pollent sidera semper amant.
Sic magnes helicem sequitur; fidissima Solem
Sic semper cupida Clitia fronte videt,
Et moriente die quæ visa est emori & ipsa,
Vividior glebis hoc redeunte redit.
Sic fontem repetunt peregrinis fluctibus undæ,
Et lucem sequitur lumen ubique suam.
O si addicta Deo mens rimaretur opimas
Deliciis causas, divitiisque sagax,
Arcana & sinubus mox spiramenta profundis
Hauriret studiis irrequieta suis,
Corticibusque fibras perscrutaretur opertas,
Detersum luto dilueretque jubar,
Illico quàm fœlix, quàm plenos dives acervos
Inspiceret segetum, queis frueretur agris!
Integra quàm tuto traheret quin tempora nexu!
Pro lubitu cunctis quàm cumulata bonis!
Vestiganda altè ast oculis exordia rerum,
Reddenda & puncto linea quæque suo,
Principium nam cuncta suum revoluta recludunt
Composita, implicitis ut resoluta glomis.
Intima si rerum tereret penetralia solers,
Ima petens animo vir reseranda suo,
Fulgida suspiciens tunc sidera, & indita terris
Lumina, quæ clauso duplicat igne solum,
Scrutatusque avido non tantùm maxima visu
Mentis, at & minimæ vilia classis agens,
Tunc rerum causas, & certos nosceret ortus,
Interitumve, novum cerneret Orbe jubar;
Et vel in exiguis obtutu magna sagaci
Metitus, vires nam fovet omne suas,
Tunc præsignato meditans emblemate plantas,
Subderet ingenio germina quæque suo,
Utilia & complura sibi captaret ab imis
Terræ extis, claras lux ubi condit opes.

Ecquid

Ecquid enim ex cunctis, quæ sermo protulit unus,
In cunctis homini non famulantur hero?
Militat huic æther, tellusve, humentia soli
Proficiunt ipsi, frigida, sicca, calor;
Erumpunt herbæ, segetes reparantur eidem,
Et varium toto gignitur Orbe pecus.
Quin minimæ & species, quæ vitæ flamine pollent,
Non semel humanas erudiere manus.
Elusura hyemes quæ condidit horrea complens,
Formica ignavos admonet ima pigros.
Dyctamus Idæo delenda ad vulnera Cervo
Debetur, purgans vilior herba Cani.
Docta chelidoniam norunt ab hirundine læsa
Lumina, in obtutus hinc reditura suos.
Spes venit è colubris reparandæ læta juventæ,
Fertve aquila ut pennas induit ipsa novas.
Hæc si Numen avi, reptanti & contulit angui,
Quem voluit similem denegat ipsa viro?
Si verò instructas mens se contendat in artes,
Murosve, & Cellas edocuistis apes.
Navibus exemplar volucrum est per inane volatus,
Queis clavus cauda est, alaque remigium.
Anseribus similis vir fractis innatat undis,
Edocuit bombyx stamina nere levis.
Corporibusve novos, quos semper dirigit, usus
Addere, deletis, quas retulere, notis,
Nunquam eadem, semperque eadem, variata vicissim
Natura assiduo turbine nosse dedit.
Dive Amor ex nihilo qui condis cuncta, suavi,
Te in cunctis reserans, omnia amore regens,
In nova mutatas ostentas corpora formas,
Volvis & assiduis ortaque, & aucta rotis;
Cumque in natura summum confeceris Unum,
Quod rerum hìc omnis fons, & origo foret,
Insita subjectis substantia cœlica terris,
Solique, & Lunæ mox paritura parem,

Hinc

Hinc amor alternus, quo juncta in fœdera versæ
Res, propriis positis, non sua membra vident;
Perpetuo mutata migrant namque omnia motu
Corpora, nec quidquam est, conspice, semper idem.
Si nil ex nihilo, ex aliquo at fit quidquid in Orbe
Cernitur, ex aliquo condita cuncta refer.
Unde sata emergunt, culmique onerantur aristis?
Unde meant cuncta hinc germina, & unde virent?
Ex nihilo an quercus, quæ parvo ex semine? palmæ
Unde triumphales explicuere comas?
Nonne ferax imber, stellarum fulgor, & udi
Ros axis fudit robora mixtus humo?
Mercuriove simul, genitali & Sulphure fulctum
Natura occultum præstitit æqua Salem?
Extera sed sileam: si læti adolescimus omnes,
Fert in nos versum crescere quidquid alit.
Cognato siquidem nectuntur singula nexu,
Unde sibi vires, auxiliumve parant.
Nec possent aliter volvi, nam dissita prorsus
Ulla sequi nequeunt vincla, vel ulla pati.
Humida pacantur siccis hinc, juncta calori
Frigida se alternè consona semper amant;
Atque elementa suo cum sint in fonte remissa,
Temperies ipsis, paxque perennis inest;
Immò quæ nobis contraria fortè videntur,
Mutuò convenient utraque mixta simul.
Quàm lux à tenebris, nigrum quàm distat ab albo!
Hisve effiicta oculos captat imago tuos.
Quam fugerent oculi puram, tenuata sit umbris
Lux eadem, obtutus allicietque tuos.
Quæ attereret lætas segetes, sit mixta tenebris,
Et fœcundando proficit inde solo.
Excitat hinc vires, hinc plantas evocat omnes;
Educat hinc culmos, hac fit adulta Ceres.
Hinc vapor exurgat, tenuis dein imber opimos,
Si leni recidat frigore, reddet agros;

Aut

Aut ubi concreto se obstrinxerit ipse liquore,
Quod melius semper Sole solutus agit;
Perficit unde ferax quidquid conatur in imis
Terrarum venis irrequietus amans;
Sistere nec visus donec potiora recludat
Semina, & in partus explicet ipsa suos.
Semper enim meliora parat, perfectaque spondet,
Ni puros maculet devia causa sinus.
Sic fulvum semper condit natura metallum,
Ni impurum puris Sulphur oberret aquis.
Vera equidem referat. rerum immutabilis ordo,
Et series Summum pandit ut ipsa Fabrum,
Explicat immensam atque ullo sine limite mentem
Mutuò nectentem singula fassa manum!
Clarius ecquid enim (id neque vulgus præterit imum)
Omnibus archetypum signat inesse Deum?
Et tamen obductum culparum nube vel ipsis
Deterius brutis hunc negat esse scelus.
An queit instructus poni sine mente character?
Fortuitos apices nulla papyrus habet.
Sponte & in effigiem quis convenisse colores
Afferet, aut casu stamina ducta levi?
Haud casum, doctam at præfert industria mentem
Artificis, pulchrum quæ comitatur opus.
Si Sol exoritur terris, atque omnia lustrans
Assiduus peragit, quo rediturus, iter;
Si astrorum sueto rutilant in cardine flammæ,
Volvitur & celeri turbine uterque polus,
Quis regit immensam irrequieto robore molem,
Ducit in occiduas & per inane faces?
Nonne ferax Summi, quæ condidit omnia, Virtus
Numinis, ad nutus & movet omne suos?
An nimis hæc distant? obtutus detine in ipso
Pectore, quod vitæ est compes amica tuæ.
Cerne oculis mentis cor unde exultet, in omnes
Cuncta means sanguis ferveat unde fibras;

Objecta ut visus referat, compagine tota
  Officio ut vigilent singula membra suo;
Excedunt? meditare greges, scrutare silentes
  Undarum populos, cætera & ima refer,
Rara Deum & minimæ figent vestigia classes;
  Nil est quod Summum non fateatur Herum.
Elatas perpende Cedros, Oleasque virentes,
  Quin folium inspicias vel leve quanta gerat.
Arcano sensim vegetatur ab ubere, ab imo
  Vitales succos viscere, lacve trahens;
Passim disposito & membrorum vimine, in artus
  Panditur, adversos nec pavet inde notos;
Æstibus alternè, tepidisve atque imbribus auctum,
  In plenos spondet nobiliora dies.
Vincta ubi tam certo se præbent singula nexu,
  Volvit & assiduas summus & Ordo vices,
Omnia disponens quis nesciat æthere Numen?
  Omnia pollentem quis neget esse Manum?
Tramite nil dubio graditur: qui cuncta reclusit
  E nihilo, in fines dirigit ipsa suos.
Principium is rerum, virtus is integra, & ardor,
  Is ratio, is finis, vitaque rebus inest.
Numinis o summum robur, quod in omnibus omne,
  Omnia semper agens, concipit, implet, amat!
Mens totus, totusque manus tu Conditor Orbis
  Cuncta geris, tu lux integra cuncta vides;
Totus & in Cœlis, in terris totus & idem,
  Integer, & præsens semper ubique manens,
Visio quem superis, homini quem robur, & ordo
  Rerum, quem stygio pandit & ira lari,
Lumen inaccessum, quod caligantibus umbra est,
  Sat tibi quis laudum vota rependat amor?
Ast sat digna Deo nequeant cum Cantica promi,
  Hunc neque sat possit noscere vilis amans,
Æternum ut pateat cum se se intelligat unus,
  Utve satis qui ipsum diligat esse queat,
Æqualem gignit sibi Mentis Imagine Prolem,
  Qua sat comprensus, quam sat amatus amet;

Mu-

Mutuus unde nitet ſpirati Numinis Ardor,
  Unus & in triplici Lumine fulget Amor;
Agnitus æternùm ſiquidem, qua ſemper ametur,
  Æterni debet Flaminis Aura dari.
Abſque loco tu ſemper ades ſine tempore præſens;
  Cunctaque, ſumma quies, irrequietus agis.
Omnia depromis, nec detrimenta ſequuntur;
  Omnia largiris, damna nec ulla times.
Cuncta reples, & cuncta vides, concludis abyſſos,
  Cœlosve; & quidquid Cor tegit omne, tenes.
Digna ſequi, vitare nefas ut cogimur omnes,
  Qui coram ſummo Judice ubique ſumus!
Sed quid lapſuros tenuis mens fertur in auſus,
  Cum neque ſat tutos ducat in ima gradus?
Cum ſe metiri nequeat, quin neſciat ipſa
  Queis conſtet, vegetans quæve recludat humus,
Compedibus devincta ſuis veſtigia Cœlo
  Figere vult? ſuperas audet adire vias?
Fulgida quæ immenſæ circumſtant agmina Luci,
  Obducunt alis lumina preſſa ſuis:
Exiguus cum pulvis ego, quin pulveris umbra
  Sim, feror hinc niſu vel ſuper aſtra meo?
Rimor inacceſſos aditus, immenſaque conor
  Complecti palmo, vix cogitanda loqui!
Prætereunda mage obtutus qua deficit omnis,
  Impar & eloquio vox ubi victa ſtupet.
Quin potius devota Deo mox reddere grates
  Geſtiat, & laudes, obſequiumve paret.
Hunc optans, hunc ſemper amans fruiturus adibo,
  Ipſius affuſus luce beatus ero.
Semper & inquiram vel cum perſtrinxero ſimplex
  Corde bonum, ſemper videro nam quod amem.
Inventum nec enim ſatis haud dilexero Numen,
  Unde fruens quæram, perfruar atque petens.
Traxerit id plane è nihilo cum cuncta, refuſo
  Se dederit pariter lumine & inde ſequi,
Abnuet hoc animus, nec ſe devinciet ipſi,
  Quod dedit, ut ſummum poſſet adire Bonum?

Quid

Quid tibi vilis homo, quid mens subjecta rependat
Alme Opifex, rerumque Arbiter, Orbis Amor?
Tu siquidem cordis tenebras fons lucis inhærens
Destruis, & mentem quæ meliora doces.
Te duce non dubiis hinc fertur in ardua pennis,
Occlusas penetrat te referante vias.
Posthabitisque scelus quæ blando felle propinat
Mixta venenatis ne alliciatur aquis,
Ipsi inhibes diros mentiti nectaris usus,
Eripis infectas in sua damna dapes,
Puraque substituis Cœlesti pyxide mella,
Pascis & æthereo per nova sæcla Cybo.
Utve mage æternum Sapiens intelligat Unum,
Construis ex imis in tua regna gradus,
Unde videt rerum nexus, subit unde profunda,
Altaque conscendit, scandere & astra potest.
Teque jubar verum posthac sine nube fruendum
Aspiciet, fracta ut compede summa petet.
Quid pro tot referat collatis æthere donis
Vulgus inops? Numen laudet, adoret, amet.
Hermetem at repetens, paries quid proximus addat
Expediam. hæc doctis fulget ut aula notis!

Æmula & ipsa quidem summum cum solverit unum,
In geminum fiderit, condideritque iterùm,
Ipsius & nexus meditans agnoverit aptos,
E simili ars pariter ducere plura potest,
Naturæ si certa tamen sciat æqua parentis
Jura sequi, & socio jungere cuncta suo.
Talia miraris? causæ usurpentur eædem,
Ex his condendum quid remoretur idem?
Objicis insanam, nugosamve asseris artem,
Quæ se naturæ dixerit esse parem?
Quid si naturæ partus fœlicior ipsa
Perficiat? quid si nobil ora ferat?
Versicoloratis instructi floribus horti
Id referant, auctum nactaque poma decus.

Cerne rudem admoto ut rutilet mox turbine gemmam,
Utve aurum valido discat ab igne jubar.
Hinc chalybis cernas, & vilis pondera cupri
Ut radient fulvis condecorata notis;
Consistatque stupens argenti ut lubricus olim
Fluctus, concretum servet & ipse sinum.
Sarmatico hæc fluxit, Baleari & littore virtus,
Sæpe Canopæis fulsit & ipsa plagis.
Pluribus hæc pariter patuit quin integra regnis
Lux, eadem geminos visa beare polos.
Omnibus immo libens facilis sese explicat Oris,
Et favet occulto lumine dives adhuc.
Instas: si melior melius natura metallum,
Neglectis aliis, condere semper amat,
Unum naturæ finis foret unicus aurum,
Multiplicem tamen hunc plura metalla ferunt.
Immò hæc imperfecta licèt cum talia semper
Permaneant, fieri nec meliora queant,
Cumque suas condant species, potiora reclusis,
Quam terræ è venis effodiantur, erunt?
Naturæ an novit methodum? vel tramite recto
Ars ipsam potis est ingeniosa sequi?
Quis dimensus aquas? quis perscrutatus opimi
Jura salis? clausi sulphura & ima soli?
Quo secernat humum cribro natura, recludat
Quo semen genio, quove calore trahat?
An miscendarum patuerunt pondera rerum?
Anne revelarunt ipsa elementa viam?
Destruat ipsa prius perstricta metalla necesse est
Ars, ut nobilius construat inde recens.
Et quod prælongo annorum dedit ordine tellus,
Audaci hoc arti congeret una dies?
Tanta nec effulsit fœlix opulentia sertis
Regnantum, haud altos visa beare thronos.
An faustè invalidis pugnatum viribus? ausus
Insequar egregios; non premit umbra diem.

Cuncta

Cuncta regens finem semper natura supremum
Cum velit, objectis ni revocata moris,
Quodve magis simplex eadem, & perfectius optet,
Appetat & gradibus irrequieta suis,
Videris haud ipsam medio consistere cursu,
Irritaque invalida linquere cœpta manu.
Quidquid at aggreditur, gignit, parit, educat altrix;
Quodve recens, apto provida lacte rigat;
Igne fovet leni, tepidis modo stringit in ulnis,
Perficit, inque datos roborat inde dies.
Qua duplices coeunt centrique, axisque calores,
Non lux, sed lucis vis ubi cuncta regit,
Et sese immissis transfundunt ignibus astra
Fertile thesauris irradiata solum,
Amplæ ubi laxantur spatia in tepefacta cavernæ,
Queis meat humenti vividus igne vapor,
Abdita rimati sæpe ut penetravimus ima,
Plurima sub proprio vidimus orta sinu.
Tunc rerum causas, solerti & semina mente,
Metirique suas cœpimus inde vias;
Insimul ad fœtus concurrere novimus inde
Masculeas vires, fœmineasque vices;
Et fixum, & constans Sulphur, fugientis & undam
Pulveris, & primi roscida liba Salis;
Androgynum fluitare modò hunc, modò Sulphure sisti
Masculeum pondus, fœmineumve fugax.
Concipere impressas diverso sidere massas,
Et partus causas hinc redolere suas.
Subrubeum, griseum, fulvum distinximus antrum,
Candida & exesa saxa nitere specu.
Cernimus & siccos infra consistere rores,
Hosve simul liquidis desuper ire rotis.
Ipse arens gelidus, madido modo fortè recessus
Igne calens, laticem visus habere brevem;
Suspensosque imbres convexis rupibus, inde
Deciduos formas conciliasse novas;

 Inque

Inque metalliferas sensim durescere glebas
Quæ in pronum recidit gemmea lympha sinum.
Spissa quiescebant partim, partimque volutis
Orbibus assiduas ducere visa rotas.
Mercurius levibus nabat vix notus in undis,
Et crassis inerat nobile Sulphur aquis;
Principiumve ferax rerum Sal versus in imbrem
Cuncta rigans, proprio & robore cuncta movens;
Lurida gignebat maculato Sulphure sordens,
Optima qua puro candidus imbre nitens.
Sic natura potens nobis innotuit olim,
Et dedit in sinubus visere cuncta suis;
Polleat ut Stellis Cœli sub imagine tellus,
Impressos referat dives & unda polos;
Utque senescentes agitato turbine rerum
Mors acies volvat, cunctaque sæva trahat,
Et reparet sobolem melior natura cadentem,
Qua vetus elanguet, substituatque novam.
Non tamen hæc facilis partus enititur omnes,
Immo nec hos utero concipit ipsa suo,
Quin prius amoveat quidquid sibi fortè retardat
Pignora continuus concipienda labor,
Productisve diù studiis inimica repellat
Corpora, & excutiat sedula quidquid obest.
Sera quot annorum gradibus fert robora quercus?
Quot lustris nudos pinus opacat agros?
Tardior his, gratos avidis latura nitores
Cordibus, heù cupidâ suffodienda manu,
Qua steriles omni viduantur cespite arenæ
Aurea fœcundis montibus arbor inest.
Quid sibi non voluit tamen ars operosa licere?
Quos nequiit gressus ingeniosa sequi?
Prævia ductricis vestigia pressit alumna,
Signatumve alacris mox breviavit iter;
Fœcibus abjectis nam corpore sæpe dirempto,
Quod purum cribro rettulit ipsa suo.

Quas

Quas natura suis non vincit viribus, æquo
Infensas operi destruit illa moras:
Insultans hortis germen vetat omne pruina,
Vitibus & gemmas cana retundit hyems?
Fortè lorycatas paleis, & vimine agresti
Muniat ars, pingui & nutriat ipsa fimo,
Instruat & passim latices, imbresque tepentes,
Inde minax aquilo, brumaque inermis erit.
Quin & ad injuriam boreæque, hyemisque rigentis
Ver præcox tutas efferet inde rosas.
Arte levem facturus humum proscindit arator,
Roris ut immissi pinguia liba bibat:
Inversos relegit repetito & vomere sulcos,
Optatæ ut Cereris spes revirescat agris.
Sed levia hæc. quidquid lentos natura per annos
Efficit, & variis explicat ipsa plagis,
Æmula si mediis facilis potiatur iisdem
Ars celeri pariter conficit ipsa manu.
Sit violis redimita sinum natura; colorat
Ars violas, auctis ornat & ipsa stolis.
Illa oleas; fert ista oleas nova Pallas alumnis
Mentibus, ereptum restituitque diem.
Ipsa nec ad fines regni vegetabilis arctos
Constitit, ast alios attigit æqua sinus.
Cubantis plumæ lentos imitata calores,
Natali explosas carcere solvit aves.
Ipsius ad jussum fit Scorpius herbula dirus,
Et bovis egestis fæcibus auxit apes.
Quæve animare fimum potuit, quæ vivere plantas
Jussit, & ingenio præfuit alta suo,
Haud potis argenti qua lubrica volvitur unda
Ipsa erit errantem sistere docta pedem?
Qua rude limoso riguit sub Sulphure ferrum,
Quave indigesto tabuit ære cuprum;
Duruit informis quave æs ignobile massa,
Non queit ad puros ars vehere ista gradus?

Quidquid componunt immixta elementa, resolvat
Ars priùs, in causas reddat & omne suas;
Semotisve sagax damnandis fæcibus, inde
Fulgidius quiddam, nobiliusve feret.
Præstans, & summè ingenerans vis imbuat ipsa,
Induet & formis atra metalla novis.
Naturam ars sequitur famulans, habitura sequacem
Omne ad iter solers ipsa imitata ducem.
Quidlibet audendi huic semper fuit æqua potestas,
Si quos illa dedit, signat & ista gradus.
Hæc igitur mediis velut illa utatur iisdem,
Conceptum, partum, mox adolescet idem.
Quin juvat, ablata emendat & labe magistram;
Fulcit, & ad summum provehit ipsa gradum.
Sic pariter cunctis eadem prodesse metallis
Noscitur, his eadem cum det origo jubar.
Sæpe incompletis, ægrisque hinc una medetur,
Atque obfuscatum corrigit ipsa sinum,
Et formam, & pretium, sejunctis fæcibus, augens,
Purgat, & electo decoquit inde rogo;
Vilia quæve olim fuerant, pretiosa lacessunt
Inde animos, tractis, nobilis esca, viris.
Cumque metalliferum hìc vario haud è robore regnum
Surgat, at ex uno semine cuncta trahat,
Instruat hoc unum, hoc acuat, foveatque tepenti
Igne sagax, massæ hinc ars ferat apta gravi,
Quæve indeficiens aurum jam protulit arbor,
Proferet haud fictis pignora flava modis.
Nec de ponderibus dandis mox anxia rebus
Ambigit, ipsarum quæ dedit æqua parens.
Ignotæ anne fidem trepidans mens denegat arti,
Territa & objectis fraudibus hæret adhuc?
Damnat & altrices furiali carmine Lymphas,
Devovet & cæcis ignibus ira Sophos?
Ingenuas quis læsit opes? quis carpsit amicos
Lucis inops radios? quæ fidit umbra jubar?

Græcia

Græcia quæ cecinit Bracmanis consona Persis,
Quæ Mauri, Hispani, Belga, Bohemus, Arabs,
Quæve Italus bimaris, Siculus, flavusque Britannus,
Indicus atque olim Gymnosophysta dedit,
Luce carens nunc turba rudis proscribit iniquo
Ipsa supercilio, & non sibi nota premit?
Est furor ignotum sævis laniare flagellis.
Barbara inauditum quæ ferit ira reum?
Concordi an totus quod carmine personat orbis
Errat? an hinc omnis natio mentis inops?
Porticus id stupeat, cuncta id stupeantque Lycæa;
Nunc qui præ cunctis inscius, ille sapit.
Qua ingenio pollens totus nunc desipit orbis,
Quemve latent rerum nomina, cuncta tenet!
Pergite nunc mentes, genio insanite superbo,
Et quæ nescitis carpite dona rudes.
Ne commenta putes, vanæ aut deliria plebis
Quæ ingenia arcanis complicuere notis.
Quid magis obscuris ipsa involvere tenebris,
Ne facerent audax munera tanta scelus?
Cœlata Eois olim quid marmora scalpris,
Symbola pyramidum, quidve obelyschus erat?
Cur facunda suis animarunt saxa figuris?
Mystica cur cauti verba dedere Sophi?
Pignora Saturnus sua devoret; aurea sæcla
Verset, & aurato defluat imbre Jovis;
Anteus è terra levior, meliorque resurgat,
Hesperio & servet littore poma draco,
Nonne conspicuis signant arcana sub umbris
Abdita, & in tenebris nobiliora suis?
Mulciberis quid rete notat? Salamandra quid? Argo,
Gorgon, atque Æson? quidve Atalanta, Midas?
Vellera Phryxeæ quid ovis, sparsisque Draconis
Dentibus, exorti quid retulere viri?
Si Endymion Lunam redamat, si flava Sybillæ
Germina se reparant, Leucothoeque redit,

Si vafer & geminos mulcet Cyllenius angues,
Unum est quod passim vela tuentur opus.
Orbis id effigies, minor urna, & nostra Smaragdus,
Id pictus fornix, id retulere fores.
Haud stupor admittet quod docta arcana Sophorum
Nube terant, assent imbribus, igne lavent;
Quod fimus in gemmam, quodve arida lympha feracem
Transeat in pluviam, sit vaga piscis avis,
Quod rogus humescat, pariat quod pluma metallum,
Sit dives pomis arbor & usta suis;
Et tamen illustri quæ sunt cælata sub umbra
Mysteria, hæc veris enituere Sophis.
Et tot clausa seris, totque obsignata sigillis,
Vilia totve umbris abdita quisne putet?
Magnum est quod tanto servant sub tegmine multi,
Summum, quod cunctis condere sic libuit.
Sic meritò occlusus Supremi Numinis ardor
Præcipuus rutilat, prodigiumve refert,
Et vegetabilium Colophon, atque ultima rerum
Meta sub exiguo flamma redacta globo;
Totius effigies orbis, quam fortè character
Cælicus inscripsit, pinxit & igne polus,
Unde oritur quidquid tellus progignit, & unda,
Et nutrit partus utraque ubique suos.
Nec ficta hæc ideo quia prævia causa sub umbris
Conditur, aut Cælos inter origo latet;
Omnia reptantes nec enim prænovimus omnes,
Nec quocumque suos mens movet ægra gradus.
Cui siquidem patuit raptæ quo turbine sphæræ,
Erronumve fugax quo per inane cohors?
Et qua versentur motæ vertigine Stellæ,
Et qua lege polos cernat utrosque dies?
Unde & versicolor radiatis imbribus Iris?
Unde gelu, venti, fulgura quisne tulit?
Hæc semota nimis? calamus propiora reposcat:
Quid refluum statis flatibus æquor agit?

Cur

Cur lapis herculeus (quæ cunctis nota paremus)
Arcanis ferrum nexibus urget amans?
Succina cur paleas, mustelam bufo, cur anguis
Bufonem cæco vimine sæpe trahit?
Omnia non omni reserarunt sidera menti,
Cuncta nec indignis exhibuere malis;
Unde nec auratæ his fulsit grave pondus arenæ,
Subrueret mites qua scelus inde probos.
Præterit & summis quantumvis sedibus auctos
Ipsa duces, alto sceptraque clara throno;
Nec mirum, ingluvies cum læserit atra potentum
Pectora, & immodicâ ferveat aula siti,
Dum præceps furor innocuo fert arma cruore
Sordida, & aggressas depopulatur opes.
Pyramidum celsas non fallax gloria moles
Condidit, at timor hic, consiliumve dedit.
Ne notum cupidus procurreret hostis in aurum,
Ast animi premeret noxia vota sui,
Turribus absumptum vastis hoc perdidit omne,
Inque sepulcrales spes tumulata lares.
Hinc ferè deciduæ nemo fert artis honores,
Vix ulli auriferum se modo pandit opus.
Nec sibi qui sapiens fictæ sub imagine visus
Palladis, auratam Gorgone traxit ovem,
Integer ingenuos cum nemo duxerit annos,
Fœdarint omnes corda sed atra dies.
Raptor it impune, & contempto tegminis usu
Fraus jactat vafros inverecunda dolos.
Exul & invisus vix limine tutus agresti,
Urbibus haud servat lilia sueta pudor.
Fusus ubique cruor, grassantur funera, vindex,
Haud parcens ulli, fertur in arma scelus.
Impia delubris donantur crimina, & atris
Cremantur monstris thura adolenda Deo!
Temporis at poni quonam sibi limite fines,
Quin ipsos violet, noxia culpa sinit?

Prospicit (& neque fallitur irradiata supernè
Mens) subitura parem sæcula sera luem,
Mæsta diù immites deploratura tyrannos,
Atque cruentando colla datura jugo,
Turbanda assiduis Divina, Humanaque bellis,
Amissura suas summaque, & ima vices;
Juratas pestes, Erebus quas, noxque malignis
Auspiciis pavido congeret atra solo.
Tunc Stygis heu proles audax discordia, præceps
Ira, ferè innumeris fraus comitata dolis,
Emaciata fames, morbi, livorque secundis
Alterius mærens, impia turba fremet.
Tunc sæva in fœdas vertentur crimina laudes,
Dignior atque auri qui mage raptor erit.
Acrius ut noceant cæco tunc sparsa veneno
Dulcia fallacis carmina amantis erunt.
Gratia tunc vulnus, lubricæ tunc dona ruinæ
Oscula tunc placido proditor ore dabit.
Subsidii incessu pergent dispendia, stanti
Auxilii in speciem suffodietur humus.
Improbus illuso empturus tunc vincula amico,
Quas male congessit, fundet iniquus opes.
Ingenuum ut fallat simulata fronte sodalem
Hostis, & obtecto rideat ore Sophum,
Tunc castum referet sub Numinis icone Adulter,
Conteget immanem pellis ovina Lycum.
Noxius Euryalo se Nisum finget amantem,
Se Thesium Stygius Pirithooque canis;
Et merces studiis dabitur damnanda dolosis,
Criminibusve fides: laus erit una nefas.
Quin pejeranti, ceu sint mendacia virtus,
Vulgus inane suum polluet ore sinum.
Tunc nurus in socrum, fraterna in viscera frater
Surget, & in prolem tunc pater ipse suam.
Urbs Urbem sternet, tunc regno vindice regnum
Corruet, ipse suos conteret orbis heros.

Conci-

Concilium horrendum, atque ingens genus omne malorum
Per cunctas miseri cernimus ire plagas.
Ambiguum per iter producto in lumina velo
Versicoloratis fraudibus ire dolos;
Ire per eversas armatis gressibus Urbes
Innumeras acies, innumerasque feras.
Jam decepturo pretiosa hæc credite amico,
Et malè concessas congeret hostis opes.
Insani atque avidis eadem profundite sertis,
Ut fraudes iterent, ingeminentque neces.
Pervigil haud ulli prudentia deteget auri
Quod reserasse nocet, quod siluisse juvat.
Pandere divinum est quod Summo at Numine dignum;
Cum Soli pateant abdita corda Deo.

LIBER

LIBER TERTIUS.

COnsilium veneror demisso pectore amicum,
Osculor insculptas pronus & ore notas:
Tam bene, tam sapiens, tam verax singula vates
Edocuit, sævos præmonuitque dies.
Evenere: vadis Acheron supereffluus imis,
Jamque indignatus finibus ire suis,
In nostrum piceis irrupit fluctibus orbem,
Et pleno huc Stygiam detulit amne luem.
Hinc furor emersit necibus maculatus iniquis,
Tabuit hinc nigro syrmate luctus iners;
Hinc subiit livor mœrens, læsura libido,
Ingluvies auri, fictio, avarus egens,
Lurida paupertas, præcoxve licentia, & audax
Ultio, mensque rapax, ambitiove tumens,
Proditor alliciens, feriorve calumnia, clades,
Et fraude ambiguus surripiente dolus,
Insidiator opum, atque alieni raptor honoris,
Clamosoque locans vendita verba foro;
Dissociata thoro conjux, nexusque latentis
Exitii, & quidquid fert Stygis amne nefas.
Inde est quòd victis grassentur crimina terris,
Impunè atque gradu liberiore meent.
Horruit hanc aciem contempta, ejectaque virtus,
Nec tulit invisum subdere cuncta scelus.
Sancta fides veri hinc custos, candorque pudici
Pectoris, ingenui cordis amica quies,
Libera simplicitas, animi moderamen, honestas,
Jus, verum, juncto & fœdere pax, & amor
Exulat incertis proscriptum gressibus agmen,
Abdita & excisis rupibus antra tenet;
Vixque trahit puras casta in consortia nymphas,
Queis gaudet niveo nectere flore comas.
Usqueadeo eximii experior modo consona patris
Carmina jam flendos vaticinata dies.

Mul-

Multiplici his Lernæ uberior, feriorve veneno
 Hæresis ingentes excitat atra rogos;
Armat & in populos incendia fœda Batavos,
 Concremat & flammis Anglica regna suis;
His ausa est Regem Solio exturbare paterno,
 Ne regnet pietas, subdita turba suum.
Totius his Orbis luctu viduatus Iberi
 Nutantis jacuit, Rege obeunte, thronus.
Collectas Asiæ his vires, Pellæque sarissas,
 Et Lybicos æstus, Ismariasque nives
Movit in Austriacas Turres vesana tyrannis,
 Aucta ut in Ausonias curreret inde neces.
His pariter lustris propriis Europa sub armis
 Languet, & excidii causa fit ipsa sui.
Vivitur exitio alterius; vice Numinis unum
 Utile adoratur, jusque fit omne scelus,
Unde sub immensa culparum mole dehiscens
 Immugit tellus, concutiturque tremens.
Nec me (si liceat miscere hìc ima supremis)
 Nec me juratæ præteriere lues.
Quanta furens livor, quanta & mentitus iniquo
 Tegmine, se torquens, crimina fovit amor!
Rebus ut exuerer cunctis perjurus Achivà
 Impius obductam polluit arte fidem.
More coercentis cohibendos alter ad ignes
 Pabula festivis addidit atra dolis.
Supposuit laqueos alter captandus iisdem,
 Alter opem simulans sub pede fodit humum.
Conjunctos animos auro scidit ille maligno,
 Deterior cunctis invidus unde foret.
Quive magis spondere fidem mihi visus amicam,
 Heu, mage neglectam perdidit ipse fidem.
Vix levibus cinctus squamis sine casside piscis
 Immunis rarò fertur inermis aquis:
Qui loricatis munitus it ossibus, alto
 Est formidatus raptor ubique mari.
Læsus, nam mitis, rabidis avidisque vorandus
 Direptus voveor flebilis esca feris.

Si in

Si in me conviciis hostis sævisset, abissem
  Forsitan, at qui me læsit amicus erat.
Probra & qui dederat, pariter si damna dedisset,
  Sustinuisse putem; N. at hostis erat!
Cumque scelus crebris frueretur plausibus auctum,
  Nam laus assiduum vel mala calcar habet,
Conclavi hinc cupida subeuntis fraude recluso,
  Heu passa est avidas chartaque, & arca manus;
Direptos gemuit violataque epistola sensus,
  Publicave audaci crimine adempta fides.
Quin personatis etiam desertus amicis,
  Juratas acies in mea damna tuli.
At cœli gravior, quo tardior, ira retundet
  Pectora flagitiis contemerata suis.
Non expectatum quoties bona contuli in hostem,
  Et ferus immeritum reddidit iste malum?
Monstra hinc, quæ rostro ingenuus, quæve unguibus auxi
  Muneribus feci deteriora meis.
Nec doleo, hæc merui siquidem qui pectore iniquo
  Deterior cunctis cœlica dona tuli.
Edomitos vidi pacato dente Leones
  Ire Urbe, & placidos atria adire lupos;
At mores hominum instinctus tenuere ferinos,
  Dum gerit humanas bellua sæva vices.
Nunc laus est faciles in fata extrema sodales
  Mittere, & ingenium nectere ubique dolos.
Ite Lyci, gaudete hilares, oviumque sub albis
  Pellibus innocuas diripiatis oves.
Crudeles olim nunc exultate Leones
  Urbibus it ferior fœmina, virque suis.
Quàm melius vestris tutus latuisset in antris
  Ingenuus, patrias quàm coluisset opes?
Fallere fidentem, diro irridere cachinno
  Quem dolus in laqueos, proditiove dedit,
Reddere pro donis odium, quæ solus abundè
  Optatus merito percoluisset amor,
Transiit in mores hominum, monstrosaque vafris
  Culpa ubi vallatur fraudibus, ipsa sapit!

Proh

Proh ſcelus! in laudes vertuntur crimina; honeſtas,
Atque animi ſpretus candor ubique jacet!
In lucrum at miti libeat mea damna Tonanti
Vertere, & in laudes vilia probra meas;
Utve Aquila extenſis ſua pignora protegit alis,
Me, miſerans, omni ſervet ab hoſte Deus,
Qui potuit ſummos etiam cohibere rebelles,
Vertere & infernas in ſua dona lues.
Qua fera multiplici regnans furit hæreſis angue,
Dira ſibi inviſum conteret ipſa latus.
Tam præſens pulſo virtus ſtetit integra Regi,
Celſior ut ſpreto fulſerit inde Throno.
Alta & commiſcens ſuperis conſortia mente,
Sit toto melior, nobiliorve ſolo;
Fortior & cunctis, ipſi ſpectandus & hoſti,
Vel deturbatus, victor ametur adhuc.
Ne totum traheret porrectis ignibus Orbem,
Paſſa eſt Eclipſes barbara Luna ſuas;
Treiciaſque minas invictis clarus in armis
Regius Auſtriacis Sarmata fudit agris;
Heſperioque favent redivivis aſtra Coronis
Fauſta throno, huic geminos conciliata polos.
At ſolers reliquos inciſo carmine muros
Exequar. O egregii lux reparata ſenis!

Hactenus ut licuit parvi reſeravimus Orbis
Emeritis aditus, difficileſque vias,
Non tamen ut ſceleri pateant, dubiique receſſus
Admittant avidum devia clauſtra nefas;
Firmave quæſitæ fundamina jecimus artis,
Unde inconcuſſo vertice ſurgat opus.
Qui tamen his viſis mirans penetralibus, iſta
Forte legens, altis auſibus hoſpes ades,
Haud molles tractus, neque pervia compita cunctis
Ipſe putes, facili tranſiliendа gradu.
Si clara hæc, notis eſt ſemita clara periclis;
Stant adeo crebris ſepta referta malis.

Tutius

Tutius adversos franges sine remige fluctus,
Per tenebras lubricis tutior ibis equis;
Et potius penetrare Stygem, volitare per astra
Quiveris, objectas quàm reserare moras.
Quod si scrutandis sinerent te fata latebris
Pergere; & haud trito tramite opaca sequi,
Nunc glacie hac algens, sitiens nunc æstibus ires;
Irrita vix visis labra ubi dantur aquis.
Quin clausi latices colubris temerantur iniquis,
Nec nisi libratis ignibus unda scatet.
Cæca riget tellus, omnis fovet herba venenum;
Surgit & accensis ferrea messis agris.
Si æratis sulcis galeatas vicit aristas
Qua in sævam segetem sparserat ora draco;
Messuit hanc fortis, munitus at Hercule Jason;
Dives & auratæ vellera strinxit ovis.
Cretensis Monstri instructis sibi Dedalus alis
Exuit insidias; præteriitque dolos:
Qui septas penetrare vias, densisque tenebris
Vix paucis notas tollere quæris opes;
Quo auxilio his inhias fretus, cui niteris arti?
Queis perges facibus? quo per opaca duce?
Ne mage quàm par est eat ausus proximus axi,
Fœlix Icariæ quem monuistis aquæ.
Quod vero assidua turbetur nocte recessus,
Quem petis, & varium præpediatur iter,
Unde tibi robur summum, ingeniumve subinde
Expediat, prono cui micet igne polus,
Cuncta scias crassâ offundi caligine; cæcum
Cuncta referre chaos, mixta ubi cuncta jacent:
Vestibula ipsa feris cogites obsessa cruentis;
Abrupta; obliquè & devia quæque putes.
Septa avidis aquilis, dirove occlusa dracone
Arcent audaces non adeunda pedes.
Implexis Serpens volvens exordia spiris
Se vorat: invisis parcet an ipse viris?

Dentur

Dentur at eximiis devicta hæc ausibus ; arctum
Laxetur limen, quo reseretur iter:
Dum sese objicient excisa fronte minaces,
Queis vinces alias viribus ipse moras ?
Non scandenda silex pallenti horrore timenda
Abdita præruptis rupibus antra vetat ;
Nam scopuli immanes, impervia saxa, retundent
Audaces gressus , spesque jacebit iners .
Ultima reptanti his rapitur neque meta labori,
Dissita quæ longo tramite distat adhuc,
Ad primum quandoque libens , inopinaque limen
Prompta licèt paucis obvict ipsa Sophis ;
Cuncta ibi nam cautes condunt pretiosa ; cavernæ
Luce scatent atræ , cuncta dat una silex ,
Si tamen allicere hanc propriis ars noverit ulnis ,
Atque ipsam docto foverit igne sagax ,
Et vas , & prunas , tempusve , & pondera , & undam
Attigerit , Sulphur , Mercuriive sinum ,
Seligere arentes scierit sine fæce pruinas ,
Et cæcum madido ruperit igne specum .
Tanta sed audaci producta indaginis ictu
Quisne vel excelsa mente referre queat ?
Pondera quisne paret vario præscripta tenore
Is septem, ille duo, hic octo dat, ille decem.
Plus is aquæ, plus ille salis, plus sulphuris alter,
Iste minus terræ , Mercuriive minus .
Hic triplicem furnum , ille unum ; vas exigit aptum
Hic unum ; ille triplex ; alter utrumque negat .
Expetit is laticem siccum , vult ille fluentem ;
Etesiæ huic sistunt quas dedit Auster aquas .
Incomburentes ignes , madidique videntur
Huic dandi , is cæcis utitur , ille rogis .
Mira hinc exigere ars , atque exercere tenetur,
Naturæque vias ingeniosa sequi ;
Unde rudem dissolvat humum , laticemque latentem
Extrahat hinc albis rore tepente vitris ,

Didu-

Diductamve suæ studioso frigore lympham
Restituat sedi, consolidetque simul;
Dissipet, instauret, dirimat, reparetque vicissim,
Igne lavet glebas, acribus asset aquis.
Ipsa modò secernat humum, quam sedula cribro
Attenuet proprio; nil aliena juvant.
Seminibus ditet, florumque in germina ducat,
Nutriat, & tepido molliter imbre riget;
Et passìm violas, immortalesque amaranthos
Educet, & lætis lilia mixta rosis;
Disponensque suos potiora in robora cultus,
Ut majora putris fœnora reddat humus,
Flavescat Saturnus hydrops melioribus annis
Dum rutilus nebulas exuet inde suas,
Namque omnis formæ non fictus imagine Protheus
Principium, resides continet unus opes;
Cunctarumve capax frugum pro semine rerum,
Ingesta ad nutus indole cuncta parit.
Lunæ etiam, & Solis docet is pubescere plantas,
Dum Venus in niveis blanda adolevit agris,
Una quot ergo dolos, dubiis quos una timores
Gressibus ad metam semita ubique parat?
Ipse venenatis nec deterrebere monstris?
Te sistent validis saxa nec atra moris?
Cuncta tibi facili quin concipis obvia tractu,
Et tutum plano tramite fingis iter?
Si fortè audieris nullo hæc subeunda labore
Littora, fœlici & cuncta trahenda manu,
Talia spectando tu reris aperta scienti,
Talia & innocuo noveris esse Sopho.
Abnuit implicitum simplex sapientia pectus
Fraudibus, obscœnos respuit ipsa sinus;
Nec patitur læsam concepto crimine mentem,
Livida nec proprio corda revincta gelu.
Ast ubi possessum cor virtus incolit hospes,
Huic tenebras radiis disjicit ipsa suis;

Subdu-

Subductisque moris, pariter monstrisque peremptis
Edocet ambiguas exuperare vias,
Visere quæsitam Cholchon, templumque coruscum,
Ferre & inoffensâ vellera flava manu..
Ipsi itaque addictum si te devinxeris uni
Mox comitem, puro pectore recta sequens,
Inde tuos spes æqua gradus, lux inde polorum
Instruet ingenium, leniet ipsa vias.
Linque igitur quæ blanda nocent; infida voluptas
Sæpè sub ambrosiæ nomine fella parat.
Effuge cœlatos infectis floribus angues,
Atque illecturos vulgus inane jocos.
Ipse nec auriferis inhies modo Gangis arenis,
Nec tibi gemmarum lumine tecta micent.
Turba salutantum claras neque compleat ædes,
Arva nec assiduo sint tibi scissa bove.
Fœlix angusto cui sors affulserit usu:
Exiguis meliùs vivitur hospes agris.
Compede quin omni rerum, curisve solutus,
Aucto virtutum fœnore dives eris.
Libera pauperies spreto clarissima censu,
Celsior elatis lucidiorve thronis,
Innocui fœcunda seges, secura supellex
Sola animi, læti & pectoris alta quies,
Nil optans, nil ipsa timens, invictaque inermis,
Tuta vel obsessas despicit una vias,
Præterit immunis liventes unica cætus,
Nec clypeo tecta, aut casside cuncta cavet.
Cumque grave infausti pondus contempseris æris,
Quod cor à recto distrahit omne gradu,
Et malè conceptas animo deterseris umbras,
Ut gemma excusso pulvere clara nitet,
Integer hinc vitæ supremum dilige Numen,
Virtutis primo in limine fulget amor.
Numinis ad nutus amor iste feratur in omnes,
Unde tibi charus frater, & hostis eat.

Solamen miſeris hinc conferturus egenis,
Laturusve piis præmia digna Choris,
Nunquam deliciis fractus, vel preſſus opimis
Ipſe opibus, liber pondus at omne premens,
Ut per te pietas, per te reparetur honeſtas,
Omnis ſe ut virtus exerat exul adhuc,
Atque cathenatas ut ſolvas compede turmas,
Ipſe tibi aſſiduas conciliabis opes;
Nam tibi Virtuti ut libes has congeret altus
Axis, & ars votis provida, cuncta dabit.
Huic tamen aſſertus, vulgus vitare profanum
Diſce Tyro; melior fortè remotus eris.
Arbiter ipſe tui, nullius venditus auro,
Captivus nullo detinearis hero.
Ipſe tibi notus ſoli, tibi ſubditus uni,
Declinans imum dignior ipſe pecus,
Præſidio ingenii pollens, cautuſque, ſilensque,
Prædoctus, conſtans, integer, atque ſagax,
Naturam ſolers animo meditare magiſtram,
Quo præſens operi ſe regat ipſa gradu;
Quas premat æqua vias, quo ſe gerat ordine, pondus
Quod ſervet, queis res ignibus ipſa coquat;
Semina ut enodet, reſerataque germina paſcat;
Utve adoleta riget, perficiatve fovens,
Abſtrahat, & reparet, minuat, terat, explicet, addat,
Et proprio lactans ubere ſemper alat;
Inſtruet, & dubiis præcurrens ipſa latebris,
Pergere nutantes ſaxa per alta gradus.
Dum nox propinquam docet alta indagine noctem,
Inſtantemve dies prævia ſæpe diem,
Evigilans, alto mens hæreat integra Cælo,
Unde ſuas pandet fons tibi lucis opes;
Dum libeat, Summum nam ſuggeret omnia Numen,
Nec fælix alio talia dante trahes.
Ultima quid molis frons exprimit? *inclyta virtus*
Si mores docuit, compoſuitque tuos,

Edomiti

Edomiti & sensus dominæ plebs subdita menti
Sit, mens se Opifici subdideritque suo,
Hæc tamquam nostris instructus vocibus audi.
Dum legis arrectâ mentis & aure bibe.
Quæ linquenda tibi, quæ sint sumenda requiras
Semina, ne ancipitem devius error agat.
Ne implexum per iter facilem fraus abdita mentem
Fallat, in arcanos mens eat ipsa sinus;
Et Cœli, Terræque vices, viresque latentes,
Naturæ officium, præsidiumve tenens,
Cunctarum fontem rerum tunc viderit unum
Altè inquirendum, quo regat ipsa vias.
Sidera cum terræ se claris nexibus indant
Lucis, ut in propriis partubus inde micent;
Quod cinctum nebulis præcelsius omnibus errat,
Et fusco lentas explicat orbe rotas,
Progenerat terris similem sibi lumine prolem,
Quâ tamen haud unquam dignior usque foret;
Nam licèt exterius griseo sordescat amictu,
Lux latitans toto quidquid in Orbe gerit.
Ut verò explorans certis obtutibus axem,
Principium tantæ lucis adire queas,
Qua torpens visus præcelso altissimus igne
Saturnus vacuas torvus habere vias,
Ipsius ut vitro discus mox redditur amplus,
Cernitur & medius luminis arte sinus,
Nobilior cunctis, præ cunctis utilis unus
Visitur, & radiis victor adesse suis;
Quique videbatur nebuloso syrmate opertus,
Fundere & inspectu dira venena suo,
Luce carens, pallore ferus, sævo ore malignus,
Livens fronte, minax lumine, semper hians,
Immanes inferre netes, urgere tyrannos,
In partus etiam noxius ire suos,
Orbis amor, cœlique decus, vis alta polorum,
Et rerum, has ipso progenerante, pater,

Quem penes assiduo triplex micat orbe satelles,
Et famulans regi paret ubique suo,
Noscitur (externis si sejungatur ab umbris)
In centro summum corripuisse jubar.
Is se terrarum ima in viscera luce refusum
Immittens, proprio & semine cuncta replens,
Omnia solventis, gignentis & omnia miram
Fert ubi naturæ concipientis opem,
Omnia fæcundat, lactat, movet, educat, auget,
Educit, solidat, roborat, ornat, amat.
Aurea terrarum regeret dum fræna refulsit
Ætas, hoc olim præside cuncta beans;
Quo dante injussis nituerunt floribus horti,
Canduit & læta meße inaratus ager,
Atque inopina rudi stillarunt balsama quercu,
Lac flumen lato vortice, melque dedit;
Æquora captivo secuit sine remige pinus,
Quam nullæ tutam diripuere rates,
Ingenua & puras tenuerunt gaudia mentes,
Integer innocuo & pectore lusit amor;
Et queis obducto sine velo se explicat Indis
Et nunc fœlici lucidus igne favet.
Quin positis quandoque suis cum nube venenis,
Noxia vel nostris corrigit ipse plagis.
Ac velut obtegitur secreta in parte supellex
Aurea, & occulto clauditur arca sinu,
Alta vel emporium ditando colligit orbi
Cura, vel innumeras Copia fundit opes,
Ipse per ingestos præcelsi sideris ignes
Subjectam summo munere ditat humum;
Et quandoque omnes ita colligit Æthere vires,
Ipsius ut fuscum compleat antra jubar,
Istaque concipiant quidquid pretiosius unquam
Effæto tellus viscere opima dedit.
Ipsorum in sinubus rerum hinc tumulatur origo,
Implet & ignotus devia septa chalybs,

Offusis

Offusis nebulis, qualis pater, obsitus extra,
Intus at eximio luminis igne calens;
Atque ita prædives ditandis omnibus unus,
Cuncta ut, cunctorum fons & origo, gerat;
Collectis siquidem astrorum virtutibus auctus,
Et quidquid tellus, quidquid & axis, habet.
Convexis speculis ceu Sol contractus adauctæ
Tam largo lucis fœnore vitra replet,
Ut se multiplicans, & se violentior, urens
Factus ibi, quidquid conspicit, inde cremet,
Sic de queis loquimur concepto lumine glebæ
Præcelsi tanto sideris igne tument,
Assiduo ut terris partu sua pignora reddant,
Et foveant, vires multiplicentque suas,
Semper & accenso gignendi ardore per omnes
Terrarum venas, æquoreasve meent.
Talia cum regnis semper meditentur in imis,
Terrestris Solis hæ retulere vices,
Cujus ut in sinubus radii, viresque recurrunt
Mutuò reflexæ conveniuntque simul,
Quod fuerat crassum, & manibus tractabile corpus,
Prædurum, solidum, fusile, pingue, grave,
Ipsius ad robur raram tenuatur in undam,
Ut levis, ac liber Spiritus inde volet;
Exanimemque sinum repetens cum fœnore vitam
Innovet, ingesto robore nobilior.
Qualis ubi recidit Sole occumbente pruina,
Quam tenuem tulerat celsior igne dies,
Arenti succurrit humo, & sitientibus herbis
Temperat admissos imbre favente rogos;
Sic noster magnum exiguus ceu complicet Orbis,
Explicat in parvo quidquid & ille sinu.
Huic suus axis inest, proprio versantur & astra
Turbine, & implexos dant elementa gradus.
Quod craßum hîc ignis mutatur in aera; spissum
Aeris in lympham; lymphaque mox fit humus;

Unde hanc ditatura, rotis revoluta vicissim,
Terrestrem subeunt cuncta elementa sinum,
Æmula vitali quem complent robore, gignat
Multiplici ut pollens semine cuncta simul,
Instruat in germen varium ut vegetabile regnum,
Emicet ut gemmis, utve metalla gerat;
Quidquid & in motum fert vitæ spiritus, inde
Ceu pleno lactans ubere semper alat.
Ne terram demergat aqua, intermixtus it aer,
A solis radiis unda tuetur humum.
In nebulis, interque minas, velut anxius, Orbi
Abdidit at cupido nobiliora Deus.
Quin lux ipse licèt totus, sese induit umbris,
Namque sua ut proprium lumen & umbra micat,
Hinc sata proficui referant in germina venti,
Quos de thesauris protulit ille suis.
Clara tenebrosis lux primò fulsit ab umbris,
Atque è virosis sæpius orta salus,
Lædere quæ suetæ, prosunt aliquando cicutæ;
Dira, Sophis placidos, dant aconita dies;
Fertque venenosus vires medicaminis aspis,
Vulneri & effractus Scorpius ipse favet.
Noxia quæque juvant, altè si noveris uti,
Versaque producunt in meliora dies.
Talis inaccessis licèt arceat atra venenis
Optantem, hinc Aquilis, hincve dracone minax,
Consilio Summi, arbitriove subinde Tonantis
Obviat hæc puris gleba aliquando Sophis.
Clarius ut digno, at quantùm licet, abdita demus
Est ubi servandum nube tuente jubar,
Sume, Tyro, Stibium; sed, quale? ais: addo, Sophorum,
Cui purum, vivax, virgineumve decus;
Jucundæ cui nempè rosæ, & prius obvia subsint,
Lilia, & illimis, qui riget ista, latex;
Cui sibi consimiles dederit Saturnus opacæ
Lucis opes, fælix indideritque jubar,

Quod

Quod positis conferre queat, vegetabile, vitam
Partubus, & propriis omnia gignat agris.
Quod sumis, validus sed nunquam læserit ignis:
Ut tibi proficiat quid periisse juvet?
Extinctum reputes, exangue, & putre cadaver,
Si victum magno vel semel igne fluat.
Quod verò vulgi fuscum, exitiale, timendum,
Perque neces sæva in funera sæpe ruens,
Omnia & inficiens, deflendis fortè venenis
Vitandum, diro Sulphure, fæce scatet.
Alterius maculas hinc detersurus iniquas
Corporis, ipse tuas tollere disce priùs.
Præscriptam hinc operi glebam cum legeris aptam,
Ne inficias alio supparis igne cave.
Ut Sol humentem Cancri persenserit æstum,
Extrahe deleta nube beandus aquam,
Ut pulsis circum nebulis, umbrisque peremptis,
Libera cognato gaudeat ipsa rogo;
Nec velut occiduam timeas, est namque polaris
Indolis; hanc virtus cœlica semper adit,
Qua radiata novis, imbutaque viribus, aucta
Tollitur, in summos evehiturque gradus.
Ignibus illectam madidis hanc hauseris undam,
Sistendamve levi frigoris arte regas;
Perque vices resoluta fluat, concretaque perstet,
Orbis ad invidiam maxima & inde dabis;
Cum verò obscurum per iter vix talia gressu
Fortè feres dubio, nam per opaca trahes,
Naturam sequere; ipsa tibi mox proderit una,
Si tibi simplicitas candida sola comes.
Una, eadem, & simplex natura est, ipsaque munda,
Mundet ut occultum perficienda jubar.
Ipsa sibi occurrit se læta, sibi ipsa medetur,
Se necat, & reparat, solaque cuncta regit.
Unica, satque sibi, sejunctis fæcibus, ipsa
Nil patitur demi, nec peregrina dari.

I 4 *Con-*

Conſtat enim cunctis, quibus indiget, ipſaque fiet
Sal modò communis, Mercuriusve fluens,
Qui dein in calcem Vulcani compede vinctus,
Teſtatur proprio Sulphur ineſſe Sali;
Nec quin ſit ſimplex ejus ſubſtantia, triplex
Forma facit; triplex viſa, ſed una manet;
Unde & nobilior, ſemperque potentior ipſa
Omnia conſtituit, roborat, auget, alit.
Firmius, æternæque rei quin fortè coævum
Quidquid ſimplicius ſemper adeſſe putes.
Quid ſiquidem ſimplex, cum ſit ſine partibus, unquam
Diſſolvet? mixti pars reſoluta jacet.
Unicus hinc furnus, vas unum, quæritur una
Res, ignis agens unicus, una via.
Hoc unum, & ſimplex igitur natura requirit,
Quæ paritèr ſimplex, unaque cuncta parit;
Et nec multiplici, ſed ſemine concipit uno;
Si ſecus, abſimilem degener ipſa dabit.
Unum igitur ſumas, quod prorſus reſpuit omne
Quidquid id eſt, aliud, ſordida & igne laves.
Nec de ponderibus (dedit hæc natura) requiras,
Rem ſume exiguam, poſſit ut igne teri;
Æqualisve calor cum fibras ſolverit omnes,
Unda queat greſſu liberiore frui.
Fæcibus abjectis, quæ fervidus integra liquit
Mulciber, ipſe operi pura ſubinde leges.
Dona hæc electo cum ritè condita vitro
Clauſeris, & valida ſolveris arte ſagax,
Principia ipſorum, & mox denudaveris, omne
Semper in id primum nam redit, unde fuit,
Pabula ſive pares, ſeu ſedulus ipſa miniſtres,
Cognata hæc operi, non aliena feres.
Immo ipſi ſolers ſensìm ſua liba remittes,
Germina ut in glebis roſcidus imber alit.
Sæpius idve teras, id ſæpius irriget ignis,
Et lavet, idve frequens ſæpius aſſet aqua.

Non

Non sueta an canimus? majorum lege tuendis
Intenti arcanis, vix damus ista probis.
Usque adeo æterno est nobis tenore cavendum
Ne tantum sceleri prostituatur opus.
Ne passim immeritis tam grandia dona paterent,
Nomine multiplici delituere malis.
Hinc chalybem dixere suum quod quæritur unum,
Fusile enim rutilat, lac modo, melque Sophi,
Nam modò candidulum, modò melle suavius omni,
Nunc rapit obtutus, & modò dulce sapit;
Nunc arens pulvis; quia nempe solubilis, unda
Asseritur; leo nunc, mox lupus ore rapax;
Nunc fons, nunc piscis, quia defluit, innatat; anguis
In spiras flexus; rex modò cuncta tenens.
Nunc draco, nam Lunæ ut synodum, Solisque subindè
Vel caput, aut alti cauda draconis habet,
Sic de quo loquimur fundat licèt ore venenum,
Lumen conjuncto fœdere utrumque tenet;
Dum trahit affinem, magnes; dum decidit, imber;
Nunc vapor, assurgens dicitur, aura, jubar.
Urna, cadaver, idem, geniter, genitusque renascens;
Spiritus ut sinui redditur inde suo.
Calx, cinis accensus, sanguis, crocus, ignis, arena,
Ut docta in robur creverit arte suum.
Fœmina, mas, neutrum, nunc demonstratur utrumque;
Nunc Phœnix, nam se concipit, atque parit.
Nunc aer, jus, azot, tenebræ, lux, omne metallum,
Terra, Chaos, sidus, Lunaque, Solque, polus,
Mercurius, Sulphur, Sal, æs, amor, orbis & icon,
Mors, cinis, & fornax, lux rediviva, salus;
Cunctarum & rerum nomen sibi vendicat omne,
Namque id cunctarum fons, & origo subest.
Res licèt abjecta est aurum; licèt ipsaque cunctis
Fortior, est fugiens; res pretiosa, fimus.
Malleus ipsa terens, tamen unda est, flammaque adurens,
Uda licèt, nix est; fit crocus, atque cruor.

Est

Est avis, & piscis; licèt hæc similanda pruinis,
Sol est effervens; arbor & usta, virens.
Pluma levis, gravior cunctis tamen ipsa metallis;
Inficit halando ceu draco, fitque medens.
Quam distant igitur cæcoque errore feruntur
Qui pergunt dubio per peregrina gradu!
Iste quod in pateris plumbum permansit ahenis,
Queis meliora diu fusa metalla, legit.
Ceu Lunæ, & Solis radiis sit maßa superstes
Aucta, hanc in summas vertere sperat opes.
Ille Salem mensis aptum sibi deligit amens,
Communemve, epulum cum petat omne, vocat
E colle hic terram primo cum fulserit ortu
Lux, probat, & Lunæ subjicit inde vigil;
Utve sequax, radiis astri fugientis inhærens
Res eat, insomnis nox sibi tota fugit.
Colligit hic rorem, pressas is seligit uvas;
Is nive constrictas aeris urget aquas.
Alter amat vini fæces, hunc spiritus ipsi
Sæpius affusus pertrahit, huncve nitrum.
Huic cruor, huic ova, huic herbæ, flavique capilli,
Fuligo huic sordens, huic fimus ipse libet:
Alter clara gerens mendacia, sævit in aurum,
Hujus ut abstractus spiritus addat opes.
Singula totque rotis, tot volvunt ignibus omnes,
Totve terunt vicibus, tritave cuncta lavant,
Tam sæpe & variis agitatur massa caminis
Fusa diu, refluis restituenda vadis,
Stultè ut quæsita admotas vanescat in auras
Copia, & amißas lugeat error opes.
Ova quid optatis poterunt præstare metallis?
Quid cruor, aut rores, nitraque ferre queant?
Quæ specie diversa manent, peregrinaque, prolem
Diverso poterunt semine habere suam?
O stolidum vulgus fatuis ambagibus errans,
Vel grege deterius, nam sine mente, ruens!

Divi-

Divitiis inhians, has affectare per herbas,
Augeat utve aurum, destruere istud hians!
Perfectæ an rei melius quid quiverit addi?
Ex pane fermentum reddere quisne velit?
Materiem in primam cupis illud vertere, ut aurum
Instituas aliud, destruis unde tuum?
Hoc sine materies cum se prima exerat, unde
Aurum, ni ut fallas falleris, inde petas.
Quod simplex videas, intabescasque relicto:
Unum est quod perstat, cætera quæque fluunt.
Quære unum, quod cuncta parit, quod complicat Orbem,
Quod calamo illustres exhibuere Sophi,
Irrita Sisypheum æquabit secus atra laborem
Cura, resumendis irrequieta viis.
Est unus, simplex, arens sine fæcibus humor,
Quem verum asserimus, vivida flamma latens;
Calx, cinis, umbra, cruor, tenebræ, lux, urna, cadaver,
Saturni solium, cor, microcosmus, amor.
Præ cunctis validum, vivum, licèt ante peremptum
Lunæ, & Solis opus, luminis idve parens,
Nobilius cunctis, & fortius omnibus unum,
Aura tenax, omnis roboris idque latex.
Est ubi terra igitur levis, & sine spiritu inanis,
Vivat ut illa, suis iste feratur aquis;
Inque suam redeat repetito fænore sedem,
Imbuat ut vacuam roscidus imber humum;
Nam duo progenerans hoc omnia continet unum
In se, masculeum, fæmineumve simul,
Naturæ officio, aut artis quod sæpe diremptum,
Inque unum rediens, quidquid in Orbe parit.
Hæc igitur cunctis res una est indita rebus,
Quin pro cunctorum semine cuncta movet.
Nam ceu pinguis ager quæ lætus severis, auget,
Immo hac gignendi robore pollet humus,
Omnia pervadens siquidem, fibrasque, meatusque,
Effractâ fæcum compede, sola replet.

Has itaque effodias solerti vomere glebas,
Et sulcos curis imprime sæpè novis;
Pinguia & exculta mandes dein semina terræ,
Dispositisve sagax imbribus inde riges.
At prius abstractis nebulis, tenebrisque fugatis,
Ut niteat quidquid sedulus ipse paras,
Vincta coruscanti, detersis sordibus, auro
Fulgurat ut radiis lucida gemma suis,
Instrue virgineum thalamum, tædasque pudicas,
Virgineas frondes, virgineasque stolas,
Et latices niveos, niveosque sub imbribus ignes,
Ut castum spirent omnia pura decus.
Si celer, ut vinclis Nympha expediatur iniquis,
Ruperit obstantes Mulciber arte moras,
Tunc formosa genas effracto libera nexu
Exeret immunes candida Virgo pedes;
Clarâ & veste micans, passos lotura capillos
Lixivio plenum deferet ipsa vitrum;
Se deterget enim thalamos habitura paratos
Mox matura suo Sponsa trahenda viro,
Fœcundanda novo miris amplexibus ortu,
Incolumi semper virginitate fruens.
Hinc speciem ne sperne rudem, tenebrasque daturas
Forte diem, pandet nam brevis umbra jubar.
Delia nocturnis dum fundet nubibus imbres,
Cinthius auratas sparget & axe faces,
Mirandi dos ampla thori, scindatur amico
Sit licèt exiguus, vomere dives ager;
Atque seras, occesque vigil tibi quidquid amâris,
Nam quæcumque velis semina op mus aget.
Retrogradis inversa jugis sata flante putrescant
Austro, ipsa affinis nutriat inde liquor.
Et juga Mercurius retroactis gressibus instans
Urgeat, & levibus jugera spargat aquis;
Evolvatque iterum repetito dente novales,
Tutior unde tibi, fertiliorve seges.

Sæpè hinc consistant, dissolvanturque vicissim
Semina, sive gelu, seu gerat ipsa calor.
Dissolvenda iterum perstricta hinc pabula perdant,
Perstringenda iterum reddita liba bibant.
Latonæ hoc Soboles latice, hoc adolescat agello;
Ne inficiantur aquæ rustica turba procul.
Fons lucis, rerumque Opifex, & Conditor Ævi,
Qui fulges uno in lumine flamma triplex,
Ingenite alme Pater, Genite huic par, hisque resultans
Spiritus, immenso Numine id omne replens,
In te consistens, & te per cuncta revelans,
Quæ trahis ex nihilo, semper & ipsa regens,
Quam bene te hoc Unum, quod pandimus, exprimit; ipsum
Fitque tui effigies, quod referamus, Opus!
Lux genitrix lucis se hìc explicat, utraque pollens,
Utraque & æqualem fert in amore facem;
Mutuò namque pari se diligit utraque flamma,
Dum semper proprio se fovet igne simul,
Unde utrumque petit semper se lumine lumen,
Seque & fælici semper amore replet;
Et velut innocuam missurus in infima Prolem
Hinc Pater, intacta ex Virgine, quæ niteat,
Ut lapsus reparetur homo, surgatque redemptus
Sæcula post istos in meliora dies,
Hìc pariter purus trahitur de Virgine partus,
Virgineove parens integra lacte refert,
Unde adolescit ovans, miranda & plura potenti
Molitur fortis robore, spemque fovet.
Sed cui sors eadem semper? cui livida parcunt
Tela? quid intactum mors sinit ire diu?
Crevere ut sensìm vires, hæc comprimit ipsas,
Et vix pubescens demetit atra decus;
Vitales auras nam surripit, atque lugubrem
Indictam cunctis cogit adire viam.
Passa at demissum surgens post funera pignus,
Consulat ut lapsis purius inde redit,

Seque

Seque coagmentans aliis, pascensque fideli
Igne, umbras perimens, noxia & atra lavans,
Cuncta is jucundæ fæcunda morte refundit
Vitæ, & restituit nobiliora nitor;
Et circumcingens radiantibus omnia zonis,
Quæ perfecit amans corpora, in astra vehit,
Et locat in superis trabeata hæc sedibus, afflat
Et vitâ, ut rutilent inde coæva sibi.
Hic mentes stupeant incircumscripta Creantis
Robora, & hic summum promicet artis opus.
Nil ars nobilius, condunt, nil fortius astra;
Purius infra hominem nil dedit axe Deus.
Quòd si te invalidum durus deterret agrorum
Forte labor, teneros ipse imitere jocos.
Cerne resumpturos sursum jecisse puellos,
Jacturos iterum cum retulere, pilam.
Cerne lutum tenuare ipsos, limumque parantes,
Et limum in crassum vertere cerne lutum.
Talia sordescunt? mundas imitare puellas,
Dum geminos minuunt, conficiuntque glomos.
Deglomeres unum, pariter componitur alter;
Solveris hunc, iterum protinus ille redit.
Immo tibi variè tortus versabitur idem,
Volvendum & repetet pars resoluta gyrum.
Aspice Penelopem claris quod texuit horis
Destruere in tenebris, vitet ut ipsa procos.
Fæmineos imitare modos, imiteris & artes:
Fæmina flere diu, nere, sedere solet.
Mensne per ambiguos an ludos hæsitat anceps,
Umbrarum & cuneis cæca vagatur adhuc?
Abdita contractis referentur ut omnia velis,
Et plenam teneas mox sine nube diem,
Sit tibi pinguis humus fæcunda uligine læta,
Ut licuit nostris jam reserata notis;
Ipsius atque parum sumens, æqualiter igne
Ut lento solvas, consolidesque simul,

Possit

Possit & occlusas resoluta expromere vires,
Ut foveas tuto sedulus inde vitro;
Naturæque vias relegens, queis ipsa per Orbem
Hunc præit, exiguo digere & ipse globo.
Hinc lapis haud lapis, illustri tamen arte trahendus
Thelesmi omnis amor, præsidiumve Soli.
Unicus & rerum latitans fons, primaque origo,
Cui Cœli virtus, clausus & Orbis inest.
Admirabilium Colophon, visque ultima rerum,
Naturæ ingenium, summus & artis apex.
Mollitèr hunc agites, altaque indagine vinctum
Urgeat admotis humida flamma rotis;
Mutuò commissæ hæ ad numerum volvantur in Orbem,
Sint momenta suis enumerata moris.
Versentur tenues lenta hinc vertigine arenæ
Ad legem, indicto & turbine cuncta meent.
Fœcundæ puram glebæ vertantur in undam,
Inque suam rediens lympha recurrat humum;
Illecta arcanos nam sentiet illa vapores,
Errantem laticem vinciet aura tenax.
Roscida subjecti sugent libamina sulci,
Et cognata bibet mella liquanda silex;
Hæc siquidem concreta gelu, reseranda calore,
Abditus immunes fons ubi condit aquas,
Stat modò perstrictis, refugis modò prosilit undis,
Evehit & niveum vivida lympha Salem.
Ast hæc ut valeas per itinera pergere tuto
Ipse gradu, & læta talia ferre manu,
De valida assumas gemina emisphæria quercu,
Queis possis vitrei claudere vasis opes;
Hoc autem purum, clarumve sit omne, tenaxque,
Cui tutum siderit rimula nulla latus;
Quod bene compactum lædat neque frigidus aer
Dum calet, aut algens, fervet ut igne, manus,
Fortius idve scias si decrescente refusum
Sit Luna; is crescens inficit omne nitor.

Nec

Nec nisi sub vitreo poteris conclusa tueri
Dona globo; haud alia pyxide clausa manent.
Muniat hanc solido tamen ars operosa sigillo,
Unde fugax discat fortia vincla pati.
At vitrum Vulgo haud patuit, neque gluten avaro,
Quo Sapiens condit, servat & ignis aquas,
Nempe cinis rutilus, cui virginis hæreat undæ
Vena latens, ullis non temeranda rogis.
Sit fornax in vase, vitrum in fornace libratum
Rectà; utrumque simul fert in utroque Sophus.
Ut natura solet, sulcos lento igne revolvas,
Optato ut gaudens imbre virescat humus,
Accessu & propriæ dites pinguedinis undas,
Insit ut elatis nobile Sulphur aquis.
Vas recto aßurgat collo, quod clauseris aptè,
Indideris parvo paucula ut ipse sinu;
Optanti nec enim majus tibi forte parandum est
Pondus, at exiguo pulvere dives eris,
Namque indeficiens summi tibi vena metalli,
Si semel hinc votis tu potiare, fluet.
Stet medio vitrum, circumvolvatur ut igne,
Et queat æqualis cuncta fovere calor.
Sit levis is tamen, & cæcus, semperque madescat,
Ambiat & clausum rorifer ipse globum;
Etesiæ alliciant lenes, atque Africus ipsum,
Alternetque breves bruma Aquilone vices,
Non tamen ut rigeant gelidis ibi cana pruinis
Frigora, at ingestus temperet ipsa tepor,
Mulcet ut agrorum in gremio natura benignis
Semina blanditiis torpet ut acris hyems.
Omne alitèr robur fractum langueret in ipsis,
Irrita proventus spesve premenda foret.
Haud sola hæc Cœli rapida vertigine moles,
Nec quotquot fervent cursibus astra suis,
Sola nec ætherei, qua circumcingitur aer,
Sphæra ignis, terræ lucra calore fovent;

Hujus

Hujus enim validis combusta excessibus ima
Viscera nil possent gignere, ferre nihil;
Molliat at tenui natura hinc frigore flammas,
Lenitisve minor viribus ignis eat,
Et calor ex terræ immixta uligine fiet
Uvidus, unde viror vitave cuique datur.
Cum radii siquidem Cœlestis Solis, & imi
Mutuò se feriant, conveniantque simul,
Hinc tepor humescens, & putrescentibus aptus
Evocat in partus semina cuncta suos.
Sulphuris ut flammâ tenui, tenuique vapore
Qua Sol afflatus junxit uterque suos,
Terrarum humenti cæcos natura per ignes
Quidquid molitur perficit æqua sinu,
Hac paritèr glebâ, si ritè effoderis ipsam,
Proventus omnis dulcia dona trahes.
Hac Sal vix notus, suffitu hac Sulphur operto
Conditur, hac quidquid gignere terra potest.
Hinc vivi emergant latices, queis abditus insit
Mercurius, Soli proximus ipse suo,
Quæsitus semper, sed rarò inventus, in unum
Cui discors anguis conciliatus eat,
Versicoloratis qui mox libratus in alis
Urgeat inversis gressibus ire boves;
Mox cadat implumis concretus frigore, in altos
Quem sæpe evexit roscida flamma polos;
Quive revelantem jussit lapidescere Battum
Furta, ferat pœnas mox lapis ipse pares.
Fortior at cunctis, lethoque potentior ipso
Innovet elapsos per sua fata dies;
Isque pater sobolesque sui, redivivus in Ævum
Exurgens aliud, par eat inde polis;
Nam moriens, hæresque sui, sibi fortè superstes
Fœcundo alternum funere robur alet;
Victurosque diu cineres revocabit in ortus
Sæpe novos, passa clarior ipse nece.

Inde latex fiat, juncturus & imbribus imbres
Dum calor hunc aptis sollicitarit aquis;
Concretis iterum durescat clausus in undis,
Ut brevis innocuo hunc frigore tanget hyems.
Ipsius in tantis at dux, rectorque periclis,
Ne præceps abeat, mulciber adsit amans,
Laturus leges nec præerit alter eidem,
Nec præstans poterit huic dare jura Jovis.
Sat si hanc hauris aquam, cum verum sumpseris ignem,
Si tibi conveniant ignis & unda simul.
Ignea cum sit aqua, & refluens eat imbribus ignis,
Præ cunctis fœlix cuncta in utrisque tenes.
Ignis is auxilium naturæ est, fax meditantis
Pronuba conceptus, unus & Orbis amor;
Semina vis reserans, adoletaque germina servans,
Cuncta regens, vitæ & lumine cuncta fovens,
Stellarum, & Solis potior pars abdita lucis,
Unde suos tenuit quidquid in Orbe dies.
Sit licèt unda hæc perpauca, omni est fortior igne,
Et Lunæ, & nostri Solis amica quies.
Hæc magnes, nexusque sui, mox ipsa cadaver;
Et vita, & robur mox rediviva manet;
Fæcundæ hæc eadem lac virginis, ipsaque nostri
Optati infantis spiritus, ipsa cibus.
Vitibus ipsa botros, dat flavis pondus aristis,
Palladio inque Oleis munere it ipsa ferax.
Ipsa metallifera est, simul omnia in omnibus una,
Hac sine nil genitum, nil adolevit agris.
Ne tamen assiduus labor, atque diutina lassas
Cura terat vires, destituatque manus,
Neve tuum stupeant secessum fortè sodales,
Hos, tempusve aleis fallere cautus ames;
Vel modò taxillis pugnas imiteris amicas,
Sæpius aut horto detineare tuo.
O quàm dulcis ibi, incomptus licèt, ipseque inemptus,
Allicit obtutus vel sine lege decor!

Quàm

Quàm mage qua ingenium laudatæ subvenit artis
Naturæ, ut partu hæc meliore micet?
Inde supervacuas rastris deraseris herbas,
Germina ibi ut tellus nobiliora ferat.
Buxea & in varias sepes formata figuras
Surgat, ibi variè tonsaque myrthus eat;
Areolasque frequens distinguat semita olentes,
Thyrsus & inclusos cingat amica sinus;
Adiectis platanus dein frondes explicet undis,
Pyramis hinc abies collis opacet agrum;
Namque ad delicias excultis divitis hortis
Proventus pars non ultima & umbra nitet.
Pallentes violæ, vaccinia nigra legantur;
Nox etiam proprium fert, licèt atra, jubar.
Hinc Ver præcurrens hyacinthe vel æmulus axis
Cælestes gemines lenis imago plagas.
Lacteus hinc auras cyclaminus efflet odoras,
Discolor & tulipæ forma coloret humum.
Gelsominus olens ab adustis prodeat oris
Candidus, apricas reddat & ipse nives.
Narcissusve tenax abeunti frigori amicus
Sive albus, sive hìc aureus inde micet.
At super hos tenuis vel sanguis tinxerit ipsas,
Fecerit aut saturas, dulce videre rosas;
Hasque modo aut nasci, aut solio ostentare superbo
Auratum sertum, purpureasque stolas.
Ast ut nobilius, meliusve his fulguret ostrum,
Atque ut multiplici germine sæpe micent,
Has dirimens plantes iterum, has iterumque recondas
Cribratâ instructo turbine cautus humo;
Et cum Sol teneras validus percusserit ipsas,
Ne nimius medio ferveat axe calor,
Has riget indictus præscriptis nubibus imber,
Leniat & jussis gurges amicus aquis.
Alternansque vices suspensis ignibus unda
Temperet hos, nimias Solque repellat aquas.

Ast ubi majores miscenda in germina curas
Volveris, hinc cultu nobiliore fruens,
Arboribus jungas peregrinum germen adultis,
Abruptis tunicis, pomaque fagus alet;
Ignotas frondes patula admirabitur ilex,
Ulmus & insueto fœnore dona feret;
Et steriles platanus succos exuta, suaves
Concipiet partus, pomifera ornus erit.
Sic oblita sui planta omnis præferet artem,
Altera & alterius pignora læta geret;
Induet alterius genium, ingeniumve subinde,
Instruet atque novis non sua poma comis.
Quod si nobilius quid ames, ubi mella recondunt,
Integra solertes mens meditetur apes.
Qualibet alveolum cerisque, & nectare ditans,
Pervia nunc linquit compita, nuncve redit;
Nunc Verno sub Sole frequens thymbramque, thymumque
Diripit, è madidis fert modò liba rosis;
Inde supervolitans subjectis garrula rivis,
Nunc tenui summas vellere lambit aquas,
Servat & in dulces conversa hinc pabula rores,
Ut sibi vel sterilis tuta recurrat hyems.
Ne te subrepens, inopinaque lædat egestas,
Et dolor infœlix otia sero gemat,
Hinc ignis, rorisque vices, melioris agelli
Hinc studia, hinc alium condere disce favum,
Ut verò latices ars evocet apta, benigno
Sedula dispositos instruat igne sinus.
Qui illæso præstare vitro queat ignibus ignes,
Mercuriove sagax addere Mercurium,
Hic totum complebit opus, dum massa vapore
Atteritur, doctis consolidanda moris.
Ast hos ferre rogos arcano ardore refertos,
Vestigare udas has sine luce faces,
Queis habile efficias corpus, queis inde cadaver
Membra regat tuto mox rediviva gradu,

Hoc

Hoc opus, hic labor; hìc insudavere recentes
Et prisci invalida sæpe sub arte Sophi;
Fulvaque constanti prensuri vellera dextra;
Vicerunt rarà clara pericla rate.
Candidus, aereus, lenisque est ignis, amicus;
Atque incomburens, quidquid in Orbe fovens:
Sat sibi, satque suo circumdatus Orbe, serenus,
Cæcus, & assiduo turbine cuncta regens,
Is neque carbonum, lignive, aut lampadis esca
Nutritus, proprio at robore semper agens;
In se consistens, hinc intra æqualis, & extra;
Subtilis, vivax, integer, aptus, amans,
Cuncta terens, & cuncta replens, atque omnia servans
Nam reparat partu quæ periere novo.
Ipse igitur flammas frustratæ lampadis, acres
Et lymphas, Lunæ, & Solis utrumque jubar,
Atque fimos ovium, vel equi aspernatus; inanes
Et crassi fumos Sulphuris, atque rogos,
Suffitu & terræ spreto, studiisque relictis,
Quæ stulto movit flamine vulgus iners,
Sume tibi certos, quos nuper scripsimus ignes;
Solvendi hisque sagax marmoris ima teras;
Fulgor ut evictâ Saturni & nube nitescat,
Imbres Vulcani munere coge leves,
Refluat affinis cognato vena recursu;
Cunctaque septenis sint revoluta rotis.
Septimus in requiem ducet labor: orbita metam
Septima forte tibi, si sapis, ipsa dabit.
Hæc operans annum percurras inde Sophorum;
Solvitur ut primò terra, rigescat hyems;
Verque tepens foveat dum germinat ipsa, refusis
Nuda humeros æstas ferveat aucta rogis.
Fertilis autumnus dein mitia poma coloret,
Reddat & extremus dulcia dona dies.
Ast ubi rem madidus, lenisque attriverit ardor,
Tutius ad metæ limina fertur opus.

Ut verò summi quæsiti fœnoris æqua
In proscindendis spes adolescat agris,
Instrue cælatas ullo sine lumine flammas,
Queis natura suos temperat ipsa sinus,
Et sata suspenso quandoque ardore soluta
Nube riges, apto cuncta tenore regens.
Naturam sequere: incertum præcurrit euntem,
Et pulsis umbris prænotat ipsa viam.
Alternat natura vices, nec semper eadem,
Sit licèt hæc eadem, munia lege gerit.
Semper agens, semperque favens, enixaque gignens,
Cuncta immota movens, Unica cuncta replet;
Otia nec patitur, quidquid quin vivit in Orbe
Semper agit; nescit vivere quidquid iners;
Immotum jaceat, putre est sine mente cadaver;
Torpeat immotus, putris en ipse liquor.
Quid si perpetuis obstringeret arva pruinis?
Quid si continuis ureret ipsa rogis?
Nonne sub admotis languesceret ignibus omnis
Spes in agris, nimio & frigore abiret inops?
Non intercæptis demens quid ab ignibus optas?
Non alternatum quid feret axe gelu?
Exigitur calor, exigitur quoque frigus & imber,
Ut fruges grato fœnore reddat humus;
At modus in rebus datur omnibus; ordo subinde
Et numero, & rectus pondere cuncta parit.
Naturæ officia haud aeris, radiisve coruscans,
Obvius haud oculis, cæcus at ignis obit.
Humentes refovent terrarum viscera flammæ,
Vimque habet accensæ lampadis ipse vapor;
Inque novos reserat putrefacta hìc semina partus,
Quos fovet alterna Solque, teporque vice.
Non ver æternum tepuit, nec torruit æstas
Semper agrum; autumnum semper abegit hyems.
Inde nec assiduæ nubes, solesque; perennes
Nec visi hìc imbres, perpetuumve gelu.

Afri-

Africus haud semper, neque semper tabidus Auster
Flant hìc, nec semper bruma Aquilone riget.
Nunc Euris agitata furit, nunc aura quiescit,
Ipsa modo Etesiis mollitèr acta favet.
Quin modo Sol medius fert incrementa caloris,
Nox modo ferventem corrigit uda diem.
Mox vapor hinc tenuis, quem sursum traxerat ardor
Frigore perstrictus decidit inde liquor.
Nec semel æthereas tenuatus it humor in auras,
Nec semel optanti redditur inde solo;
Sæpius aereum sed sublimatus in Orbem,
Maternum repetit ditior inde sinum,
Et movet in partus cunctarum semina rerum
Nobilior semper, fertiliorve novos.
Ros ubi succurrit pronus sitientibus herbis,
Et lenit læsos officiosus agros,
Instaurat plantas, flores reparatque cadentes,
Roborat & vires emoritura seges.
Nec minus utilia accensæ sunt frigora terræ
Quàm calor, unde vices poscit utrasque solum.
Tellurem torpente gelu torpere putabis,
Tuncve putre interno viscere semen alit;
Tunc fovet, & reserat; redeuntibus indeque Veris
Ignibus, in lætum pandere germen amat.
Ver sibi quisque parat, totum quin temperat annum
Ignis ut indictas instruit arte vices,
Humidus unde tepor, qui putrescentia solvat
Semina, qui faveat partubus unde calor.
Sic igitur putre, ut calidum solet omne, quod imis
Constat aquis, Austro reddere corpus ames;
Nec nisi putrescat poterit quid gignere semen,
Flore nec arentes Ver tibi pinget agros.
Namque parens rerum has reserat putrefactio, in imo
Terrarum gremio semina cuncta movens.
Putris ut humentem nigrescet agellus ad ignem,
Pandet & exanimem dira mephitis humum

(Hæc autem evenient ut Luna bis auxerit orbem,
Et bis fraternum liquerit ipsa jubar)
Tunc sponte occurret poscentibus obvia glebis
Lympha, & conceptas ipsa rigabit opes.
Quæve jacebat iners, ullo & sine robore tellus,
Aucto fertilior germine cuncta dabit.
At corrupta licet, nam tutior exitus inde,
Ipsa diu ingestâ nigra putrescat aquâ;
Ne intempestivus caveas sed semina mergat
Humor, & in spretum terra virescat olus.
Austro flante leves sensim tenuetur in auras
Hinc liquor, & socium sublevet ipse Salem;
Hujus enim magnes grato spiramine vinctum
Hunc trahet, officiis allicietque suis;
Sæpius & lentas iterato turbine versans
Inde rotas, arctâ compede nectet humum,
Evehet & secum ut posthac evinctus eadem,
Ipse suo recidat Sulphure in ima gravis,
Irriget atque satum repetitis imbribus agrum
Is nimiis quoties ignibus aret hians.
Hos eadem natura gradus, scrutare, per Orbem
Fert totum, occurrens omnibus æqua parens,
Dum noctu, dum perque dies quem fervor adegit
Sursum ire, ut repetat fortior ima vapor,
Lucifer in tenues, hunc vertit & hesperus imbres,
Lenit ubi suetas mitior aura faces;
Et mox rore levi, egelidis mox terra pruinis
Amissum geminat per sua damna lucrum.
Nam secus in paleas traheretur messis inanes,
Langueret sitiens emoritura seges.
Haud igitur satures plenis nimis imbribus ipsam,
Nec segnis nimios temperet unda rogos;
Ignis at excessum, præcox venit unde rubedo,
Lympha premat, nimias corrigat ignis aquas.
Qualis ubi immodicos resolutæ nubis in imbres
Sol opportunis fertur in ima rogis,

Axe

Axe vel urentes fervens ubi fuderit æstus
Sirius, & læsos igne cremarit agros,
Succurrunt pluvii terris poscentibus Austri,
Gaudet & optatis reddita messis aquis,
Floribus aut gratas cultor languentibus undas
Spargit, & oppressum recreat inde decus,
Plantasque, & fruges reparat, duplicique beatus
Fœnore, naturæ munera, & artis habet.
Sic fixum solves, reddesque volatile fixum,
Et vivo vivax imbre cadaver erit.
Sic resoluta silex ventorum ventre feretur,
Aere nempe, cadet dives & axe liquor.
Ne tamen instructos lympha hæc revoluta per orbes
Quæsitâ possit rimula abire cave,
Ipsaque ne fumum languens vertatur in atrum,
Ut cursu posthac nobiliore fluat;
Et ne mersa putris pereat, neve ignibus asses
Immodicis: prudens temperet ista Sophus.
Algidus haud feriat tepidum vas flatibus aer,
Nec tractes gelida fervida vitra manu;
Et ne suffitu incautus lædaris iniquo,
Ut referes eadem, frigida redde prius.
Lympha eadem est aquila immitem victura leonem,
Hæc bos invertens jugera, rosque ferax:
Hæc draco pervolitans terris emersus ab imis,
Exuto alarum remige & ater hydrus.
Hæc lac virgineum, quo charum casta puellum
Mater alit, præstans unde adolescit amor.
Semina cuncta fovens hæc uda est Luna Sophorum;
Hæc æstus, nostro lenis & imber agro;
Hæc cibus infantis, redivivi & purpura regis,
Nox eadem nigricans, mox sine nube dies;
Mors, urna, atque salus; cupido vix cognitus ulli
Quin hæc Mercurius Sulphure dives adest;
Qui velut ætheree se semper proximat igni
Lampadis, hic nostri Solis it ipse comes,

Undè

Unde perempturus nebulas, mox noctis & umbras,
Nunciat optatam prævius ipse diem;
Atque propinquantis præcurrens gaudia lucis,
Sublustri hanc cœli margine spondet agris;
Atque Sophis etiam pronus reserabit eandem,
Si hunc trahere affini compare semper ament,
Arcana alliciant grati & spiraminis aura,
Vinciat ut refugos compes amica pedes,
Cautus ubi implexas properarit Mulciber artes,
Atque vafros nexus sollicitarit amor.
Namque ubi se summo unda fugax librarit in axe,
Sentiet halantem lenis & imber agrum,
Subdideritque suis cum legibus arbiter ipsum,
In fœdus Stellas, atque elementa trahet;
Victor, & evictus, laniatus, & integer, urna
Clausus, & exurgens, nobiliorve nitens,
Concretis durescet aquis, nodoque tenaci
Stringet humum, fiet quin humus ipse liquor;
Versus & in lapidem, cunctis fœcundior arvis,
Deprensas omnes congeret unus opes.
Sulphura Sulphuribus si noveris, ignibus ignes,
Mercuriove suum reddere Mercurium,
Subtrahere ipsa modo, perstringendisque vicissim
Nexibus inde simul jungere, cuncta feres.
Septeno hæc igitur si verses turbine, lentis
Circumducta rotis, arbiter Orbis eris.
At rectum per iter tendas sub legibus ignis
Unius, atque uno gurgite solve ratem.
Navita nocturnis dum perges ipse tenebris,
Cum refluus nigros terserit imber agros,
Incipiet primos tunc Orbis habere nitores,
Candor & instantem pinget in axe diem.
Rorifer optatas libratis ignibus undas
Æthere tunc fundet lucifer, arva rigans;
Versicoloratis conceptâ hinc luce pruinis
Alliciet oculos nobilis unda tuos,

Imber

Imber enim in terras admißo ubi Sole serenus
Decidit, in claras flectitur Iris aquas.
Tunc nimium fœlix depulsas victor in umbras,
Contracto noctis syrmate, quanta trabes!
Nam causas rerum in vario meditabere vultu,
Dum varius pandet tunc elementa nitor.
Quàm blandè croceus, roseus quàm molliter humor,
Atque viror violis mixtus inibit aquas!
Glaucus, subflavus, simul ater, cærulus, albus,
Cæsius, accensus defluet inde latex.
Desinet optatum hinc sensìm color omnis in album
Indicium lucis, præsidiumve tuæ.
Aurora in croceis surget dein obvia bigis
Clarior emenso, nobiliorve mari.
Hæc paritèr tamen intermisceat ignibus undas,
Alternâ & doceat nube nitere diem,
Ut subjectus ager pluviis, radiisve vicissìm
Admissis, duplicem sentiat axis opem;
Sicve frequens astas mox temperet unda novales,
Ut nimio immunis crescat ab igne Ceres,
Fervidus ascenso donec sublimior Orbe
Sol modo suspensis nube fluente rogis,
Et modo detecto laxatis æthere flammis
Perficiat vicibus culta fovenda suis.
Omnem vitali cum luce impleverit agrum,
Atque obtruncanda messe rubescet humus,
Ut matura seges fuerit (talemque monebit
Deficiens humor, purpureusque color
Arentis velut iste croci, grave pondus aristis
Mollitis auctum, & reddita pulvis humus,
Sive statìm si ulla hæc fumi sine nube liquata,
Fluxerit ut candens senserit ipsa cuprum)
Horrea ut electus frumenti ditet acervus,
Haud mora; tunc vigilans illicò messor eris.
In paleas aliter vacuasve periret aristas
Omnis spes, usto falxque jaceret agro.

Proti-

Protinus exultans pro tanto fœnore, cauto
Uni nota tibi gaudia corde geras;
Et delubra petens, votivis pronus in aris
Tunc largitori munera redde Deo.
Virtuti occurrens, nudis mox consule egenis;
Atque piâ invalidos sæpe tuere manu.
Integra ut optatum & semper mens incolat axem;
Ferveat in summum Numen & omnis amor,
Moribus instituas puris tunc sedulus omnem
Ingenuam pubem, virgineosque choros:
Collectas solers huc omnes dirige vires;
Sitque tuæ pietas ultima meta viæ;
Proventu dives tanto, nàm sive fugacis
Mercurii pennas sistere lætus ames;
Addere seu pretium fuscis velis ipse metallis
Cœperit ut Lunâ, aut Sole nitere seges,
Mens sit crystallum in claras seu vertere gemmas;
Concharum aut baccas condere faustus, ages.
Hinc etiam melior cinctus tibi floribus annus,
Frugibus uberior, fertiliorve botris:
Nam seges hæc rerum vires, prout jusseris, omnes
Colliget augendas; ingeniumve geret.
Quin ipsa poteris corrupto sidere fusam,
Præsidium terris, exanimare luem,
Mortis & exitio fugienti occurrere vitæ,
Primaque poscenti reddere sæcla solo,
Unde lacessitis ferrum mors victa recurvum
Nisibus arenti conterat atra pede;
Omnia nam triplicis metitus robora regni;
Cuncta tenens, cunctis fortior unus eris.
Gaudia sat cordis siluerunt clausa recessu,
Et sat suspensæ conticuere lyræ.
Nunc, nunc psallendum: harmonicis animentur ab auris
Organa; nunc cytharæ fidibus instet amor:
Plaudendum Domino. socientur consona systris
Cantica sidereis conciliandа choris;

Æmu-

Æmula & hinc resonent geminis encomia Templis,
Ut summo obsequium profiteamur Hero.
Vero, Uni, & Trino, immenso, Æternoque Creanti
Pangamus laudes, qui regit ista Deo.
Semper amans, semperque manens, prior omnibus Unus
In se consistens, se penitusque beans,
Omnis origo boni, nitor omni antiquior ævo,
Mens mentis, lux & lucis, amoris Amor
Condidit Omnipotens vis omnia; ut omne patraret
Sat voluisse fuit, nec dedit alter opem;
Nam secum non Isis erat, non fictus Anubis,
Adstitit haud summo vanus Osiris Hero:
Non vita, sensuque carens Saturnus id egit,
Quod nitet, haud Martis flamma, nec uda Venus;
Nec Stellis rutilum Atlante, aut stetit Hercule Cœlum,
Summus, qui hoc sermo protulit, ipse tenet.
Sidera is explicuit, zonas is texuit omnes,
Ipse Orbes jussit legibus ire suis;
Fulgura is accendit, vindex ut crimina mactet,
Non cui thus adolet vulgus inane Jovis.
Extra ipsum nec enim his unquam fuit Orbibus alter;
Qui duplicat, penitus denegat esse Deum;
Neuter enim Omnipotens, immensus neuter adesset
Si duo; neuter agens omnia, neuter habens;
Solus qui solo sed condidit omnia nutu,
Omnia qui replet condita is unus adest,
In triplici semper fulgens lux una nitore,
Integra ubique manens, totaque ubique potens,
Conditor, & Dominus rerum, quas porrigit idem,
Et quas fœcundo continet ipse sinu,
Dixit, & omne fuit; solus mandavit, & omne
Illicò constituit, servat & omne simul.
Æthereis posuit rutilas quin mentibus ædes,
Effusumve polis præstitit ipse jubar.
Dextera condentis celeri hanc vertigine molem
Volvit, & in choreas excitat astra suas.

Hac aurora manu, hac certos fert lucifer ortus,
Sol reserat claros hac operante dies.
Hæc luci, tenebrisque suas dat provida sedes,
Conficit hac notas candida Luna vias.
Hac nubes pendent, hac terrent fulgura terras,
Subjectis prosunt ventus, & imber agris.
Hac ver educit messes, hac perficit æstas,
Hac tepet autumnus pomifer, alget hyems;
Hac semper fracti præscripto margine fluctus,
Fertilis hac unda est reddita, pinguis humus;
Orbis & effigies hac ipsa parvulus amplo
Quidquid inest Mundo, complicat iste Globus.
Summo igitur Trino, summo pangamus & Uni
Cantica; festivo carmine Templa sonent.
Votivis ipsi solvamus vocibus hymnos,
Promamus puris verba canora labris,
Et digna exuperent suetos modulamina cantus;
Exuperant omnem summa ubi dona vicem.
Sublimi quid enim Cœlo simul astra recondunt;
Quidve aer, tellus, æquora, & ima tenent,
Quod non præstiterit, quod non concluserit isto
Ipse Globo? hoc uno munere cuncta dedit.
En summæ artis apex, Cœli en mirabile donum,
Vitalis robur luminis, Orbis honor.
Auctori quid vincta suo mens nostra rependat?
Quid reddant alto vilia corda Deo?
Sidereis innexa choris præconia jungant
Ipsi, & immensæ conscia lucis ament.
Quod si majori grana hæc tibi fœnore amabis
Condere, & aucta aliis horrea habere novis,
Ex his pauca feras, frumenti ut semen, in aptam
Mundus humum, atque iterent ignis, & unda vices;
Sæpius & surgant, sidant resolutaque; fervor
Dissipet, & placidum congreget ipsa gelu.
Hisce rotis versanda trahens, immotaque reddens,
Æternis pascens imbribus, atque rogis,

Mercu-

Mercurium, sulphurque teras, dirimasque subindè,
Inque unum ut coeant, jungat utrumque vapor.
Per suetos iterum mox circumducta colores,
Instaures, proprio & germina fonte riges.
Candida flavescant iterum, rubefactaque messem
Mergite fœcundent uberiore tuam.
Quove magis repetes resupino vomere sulcos,
Et jacies solers nobile semen humi,
Tempora præcurres, aderit nam dives aristis
Sic semper citior, nobiliorve seges.
Talia quive legis, cui sunt servata beando
Dona hæc, haud sortis conscius ipse tuæ,
Thesauri differs immensi fœnora? vitæ
Et producendæ gaudia temnis iners?
Negligis? aufugient; summa hæc mihi dona parantur?
Libo mel: Hybleæ desipuistis apes.
Ast ubi nuper eram? vacuis an lusit in umbris
Somnus, an afflatus Numine vera tuli?
Evigilans mens hæret adhuc? rediere juventæ
Robora, cincta novis tempora tango comis.
Delevere genæ rugas; quid plura? tenaci
Me reparans tandèm pollice stringo vitrum.

FINIS.

Ad majorem tui Nominis gloriam Domine meditatus sum in omnibus operibus tuis, in factis manuum tuarum meditabar. *Psalm.* 142. Anno reparatæ Salutis 1708.





